





1. *Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.*

2. *Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.*

3. *Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.*

4. *Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.*

5. *Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.*



*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*

1  
1  
2  
1  
1  
2  
3  
1



1726.

1. Godes, Phil. Bellhus: De probatione in continenti.
2. Helwigius, Zach. Antreas: De foro militari.

1728.

1. Bellhus, Augustinus: Thesaurum selectarum juris  
contractuum . . . ad ordinem . . . compendii juris  
prudentiae forensis Dr. G. A. Struvi congesta-  
rum exercitium I.
2. Nettelbladt, Christianus: Disputatio juris publici,  
qua formulam regiminis Sueciae de anno 1634.  
. . . exponit.
3. Nettelbladt, Christianus: De fontibus juris Lubicensis.
4. Wahlberg, Klaus: De mentis Hassorum in  
regnum Suec. Gothicum

1729.

1. Nettelbladt, Christianus: De militari veste

1729.

2. Nettelbladt, Christianus : De episcopis regni  
Svionici Romano-Catholicis.

1730.

Gerdesius, Phil. Balthas : De penis usuarie  
procuratis.

1731.

1.2 Gerdesius, Philippus Balthasar : De juris  
prudentia non papizante seu falso in  
multis juris materiis papizantis doctrinae  
insimulata. 2 Exempl.

1732.

Gerdes, Phil. Balthasar : De differentiis inter  
S. I. I. Vallej. et. Anth. si qua mulier C. ad S. I. I. I.  
Vallej. seu inter uxorem pro marito et mulie-  
rem pro extraneo intercedentem.

ine

inae

ter

stun

stic







H. vir. 4. num. 9.

DISSERTATIO ANNIVERSARIA,

qua

Novam

DE

FONTIBUS JURIS  
LUBECENSIS

Conjecturam,

PRÆSES

CHRISTIANUS NET.  
TELBLADT.

J. U. D. & P. P. O. R.

RESPONDENS

OLAVUS ROSENIUS,

Gothob. Svecus,

*modesto Eruditorum examini submitunt.*

Ad diem Febr. A. O. R. MDCCXXXVIII.

in Acroaterio Maximo,

horis ante meridiem solitis.

GRYPHISWALDIÆ,

LITTERIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

REG. ACAD. TYPOGR.

KÖNIGRIED  
UNIVERS.  
ZV. HALLE

S<sup>a</sup>. R<sup>a</sup>. M<sup>tis</sup>.

Maximæ Fidei VIRO

Regni Sveciæ

SENATORI,

*Celsissimo atque Illustrissimo*

COMITI ac DOMINO,

DOMINO

GUSTAVO

BONDE,

Literarum

Patrono Maximo,

**VIRO**

*Generis Antiquissimi  
rara felicitate*

PATERNÆ

**ERICIDARUM,**

MATERNÆ

**GUSTAVIDARUM**

Stirpibus innexo Serenissimis;

Vicesimo

fui nominis,

qui

Summum illud, à Regio,  
Senatoriæ Dignitatis

Culmen

faustis bonorum omnium acclamationibus  
attigerit;

*Mæcenati Summo,*

DISSERTATIONEM HANC

Cum voto omnigenæ Prosperitatis

D. D. D.

Nominis Tantæ

Cultor Devotissimus

**OLAVUS ROSENIUS.**

S<sup>a</sup>. R<sup>a</sup>. M<sup>tis</sup>.  
Magnæ Fidei VIRO

&

Aulæ Regiæ

CANCELLARIO,

*Generosissimo atq; Illustri Domino,*

DOMINO

JOHANNI

HENRICO

von KOCHEN,

*Mæcenati Magno,*

Hoc quicquid est Munusculi,

submitte offert,

simulque


Fausta quævis atque felicia

precatur

*Nominis Generosissimi*

Cultor Observantissimus

OLAVUS ROSENIUS.



## Prooemium.



Nter domestica Germaniæ jura, Lubecensi, si non primus, certe perhonorificus multis nominibus debetur locus. Sive enim antiquitatem ejus respicias, qua ultra quingentos annos ascendit, sive celebritatem auctoritatemque, qua non multas tantum Germaniæ civitates, sed nonnullas quoque ex finitimis complexum est, sive denique ipsam ejus æquitate & prudentiam Legislatoriam, quam Conditores pro illorum temporum ratione adhibuerunt longe maximam, nulla non, utut magnifica, promeretur elogium. Et de antiquitate quidem, nec non celebritate Juris Lubecensis res est satis manifesta; Seculo enim XIII. non modo jam conditum erat, sed in præcipuis quoque Holsatiæ, Megapolis, Pomeraniæ, Borussia ac Livoniæ urbibus receptum (1) fuit; de æquitate autem exstant sinistra quorundam judicia, (2) maxime,

(1) Consuli hic imprimis meretur, *Joh. Sibrandus in Jure Publico Urbis Lubecæ & Civit. Hanseat. P. I. Sect. X. pag. 94. seqq. Sam. Reyherus in Hist. Juris Univers. Cap. 43. §. 13. seqq. pag. 348 Werlhofii Specimen II. de Jure Germ. patris particulatim tali §. XI. pag. 198. seqq. & al. pl.*

(2) Vid. *Movius in Commentario in Jus Lubecense Quest. I. num. 49.* ubi: inde, promanarunt ista convitia, inquit, daß man das Libbische Recht ein Slupsisch oder Lobbisch Recht ohne Ursache gescholten; item es sey ein Holswage; so man schieben konte / wo man wolte; item, die Städte könten damit / wie mit einer Gauckelsche / wieder ihre Obrigkeit spielen. Quæ præter allatam rationem, amoris & cæcæ venerationi Juris Romani, sensim ingravescenti, accepta referenda esse non est dubitandum.

maxime, ut videtur, a Parasitis quibusdam aulicis profecta, qui Jus Lubecense, ad civitatum incrementa promovenda precipue comparatum, auctoritatem suam tam late diffundere, & in precipuis urbibus domesticis præferri institutis, æquo animo ferre non potuerunt.

## §. II.

Horum autem criminationes non opus est hoc loco multis refellere, cum otium nobis hac in re fecerint dudum viri doctissimi *Götzius* ac *Mevius* (1) qui instar omnium esse possunt. Etenim licet hinc illinc nonnulla occurrant in Jure Lubecensi duriuscula, hæc tamen vel commodam interpretationem admittunt, vel ratione utilitatis atque securitatis commerciorum ac salutis publicæ, quæ suprema lex est, facile excusantur. Et si vel maxime afferri posset aliqua Juris Lubecensis sanctio, quæ hujusmodi non admitteret excusationem: non inde multum dignitati ipsius decederet, cum & illa Jura, quæ hodieque apud gentes cultissimas summam obtinent auctoritatem, iniquitatis non uno in loco facile convinci possint. Quod de Jure Romano erudite ostendit Consultissimus *Kressius*, (2) de

- Jure
- (1) Ille in *Diss. de æquitate Juris Lubecensis*, hic *L. c. Quest. I. num. 56. seqq. pag. 7. & 8. Joh. Amelius Prof. Regiom.* quoque a nonnullis (*D. D. Brunquell in Hist. Juris pag. 637. & alii*) pro felicissimo Juris Lubec. vindice habetur: aliter tamen sentit *Excell. D. Wakenberg in Diss. Gedan. de abusu Canonis Juris Lubecens. Hand muß hand wahren / Thes. 2. pag. 6.*
- (2) In *Dissert. Summum Jus, summa injuria.* *Exempla legum iniquarum ex speculo Saxonico & Svevico congestis*, Ill. *Hoffmannus in Specimine Conjecturarum Politicarum pag. 118. & pag. 136. In Legibus Alfridi Regis Cap. 25. inter alias hæc legitur Constitutio.*

Jure Canonico facile probatu esset, si quemquam hac de re dubitare existimarem.

## §. III.

Rejctis igitur & merito contemtis malevolorum convitiis a prudentissimo quoque maximi semper factum est Jus Lubecense. Quamobrem in historia ipsius tradenda laudandam posuerunt operam viri doctissimi; licet non sit diffidendum, post illorum messem ampla fati aliis relicta esse spicilegia. Quod nos quidem minime miramur, cum iis temporibus lucem aspexerit Jus Lubecense, quorum barbaries, pleniorum rerum alias memoria dignissimarum nobis invidit notitiam. Hinc nec de Conditore Juris Lubecensis quicquam fati certi statui potest, quem alii (1) Fridericum Barbarossam, alii (2) Albertum Bardewicensem, alii (3) denique Henricum Leonem faciunt: nec de Fontibus, ex quibus originem trahit, praeter conjecturas habemus, quarum una quidem alia est verisimilior, nulla autem pro veritate certa atque explorata haberi potest.

A 2

## §. IV. Vul-

cutio: *Servus, si ancillam stupraverit, virga virilis ei praeciditur & in Additamenti. l. ad LL. Burgundicas Tit. X. Si quis Canem Veltraum, (vide de hac & seqq. vocibus, Lindebrog. in Glossario sub voce Canis) aut seguium vel petrunculum praesumpserit involare, jubemus ut convictus coram omni populo posteriora ipsius osculetur.*

- (1) Vel potius Lubecenses ipsos post impetratam a Frid. Barbarossa libertatem; Vid. Sam. Reyherus in *Hist. Juris Univers. Cap. 48. §. 3. 4. pag. 346. Mevius l. c. Quest. l. pag. 6. n. 41.*
- (2) Gisebertus in *Prefat. Harmoniae Statutorum, sub v. Lubecens.*
- (3) Meibom. in *Not. ad Wittecbindi Annales, inter Scriptores Rerum Germanicarum Tom. l. pag. 670. Gryphiander de Weichbild. Saxo- rum Cap. 80. n. 15. pag. 274. Andr. Lange in Introd. in Notitiam. LL. Nauticarum. Cap. 9.*

## §. IV.

Vulgatissima, & a plerisque, quos inspicere licuit Jurisconsultis magno consensu recepta est opinio, Jus Lubecense ex Jure communi Cæsareo, Jure Saxonico, & peculiaribus quibusdam consuetudinibus atque institutis conflatum esse. Nec in tanta Auctorum multitudine, qui de Origine Juris Lubecensis scripserunt, præter duos (1) inveni, qui potius in Svecia & circumjacentis regionibus quam apud Romanos & Saxones prima Juris Lubecensis initia repetenda existimaverint. Qui licet numero suffragiorum longe sint inferiores, tamen, cum in Republica Literaria non numerentur suffragia, sed ponderentur, nemini vitio verti debet, si, salva dissentientium auctoritate, quid sibi maxime videatur verosimile non dubitet profiteri.

## §. V.

Operæ itaque pretium facturum memet existimavi, si in rationes, quæ pro diversis hisce Juris Lubecensis fontibus in utramque partem afferri solent, vel afferri posse videantur, quæ in Dissertatione Academica fieri decet brevitate, inquirerem. Quod ut ordine fiat, Capite I. an Jus Romanum pro fonte Juris Lubecensis venditari possit dispiciam; Cap. II. quid Juri Saxonico hic sit tribuendum disquiram, ubi de moribus quoque & institutis præcis, quæ pro tertio Juris Lubecensis fonte haberi solent nonnulla in medium proferam. Cap. III. meas de Origine J. L. ex vetustis Sveo-Gothorum legibus conjecturas exponam, & has Cap. IV. adversus

(1) Joh. Joach. Rangonem in Dissert. Epistolica de Bylaginibus Lubecensium ad Anton. Wincklerum, & Consultiss. D. D. Petr. Frid. Arpe in Færis Æstivalibus P. IV. S. 94. pag. 225.



versus objectiones quasdam, quæ contra afferri possint, defendam. Denique Cap. V. usum hujus Differt. paucis commonstrabo.

*Caput I.*

*quo disquiritur,*

*An Jus Civile Romanum per fonte  
Juris Lubecensis habendum sit.*

*§. I.*

**C**Um Jus Civile Romanum magno Dd. consensu pro fonte Juris Lubecensis venditari soleat, non sine gravibus hoc fieri rationibus facile quis sibi persvadeat. Sed has quidem adhuc plane nullas inveni. Unde in eam adducor sententiam vel de recentioribus quibusdam Juris Lubecensis compilationibus hoc intellectum velle viros doctissimos, vel non satis cogitantes opinionem per manus veluti traditam sine dubitatione assumisse. Quamobrem ut quid de hoc Juris Lubecensis fonte statuendum sit, paulo distinctius appareat, e re erit inprimis quo tempore in Germaniam invectum sit Jus Romanum dispicere, & deinde ætatem Juris Lubecensis investigare. Sic enim patefiet an primis Juris Lubecensis Compileribus cognitum fuerit Jus Romanum, & si cognitum fuisse dandum est, an id tantifecisse existimandi sint, ut ei in suis statutis atque Sanctionibus locum concederent.

*§. II.*

Et si igitur Jus Romanum, extincto in Occidente Romanorum Imperio, non prorsus obsolevit, sed partim ab Italis, partim aliis populis, qui leges Romanorum quodammodo ad se pertinere arbitrabantur, bona

A 3

Victo-

Victorum venia retentum fuit : in Germania tamen ante Seculum XIII. & XIV. vel plane non, vel parum admodum cognitum fuit, ne dicam receptum, vel auctoritate publica comprobatum. Nihil enim erat quod Germanis Jus Romanum magnopere commendaret, nemo a quo peregrinas hasce Leges discerent, antequam prope medium Seculi XII. in Academia Bononiensi Irnerii, & post eum alii Jus Romanum publice interpretari cœperunt. Horum autem instituto cum faverent Imperatores, brevi frequentissimæ evaserunt Itatorum Scholæ Juridicæ. Quas cum Germani quoque magno numero adirent, Juris Romani notitiam secum paulatim invexisse redeuntes probabile est. Non itaque mirandum, si Seculo (1) XII. & proxime sequenti in aulis Imperatorum & Principum Imperii passim vixerint Viri Juris Romani non profus imperiti. Sed cum horum & numerus & scientia non admodum magna fuisse videantur, non sine ratione statuimus Jus Romanum Seculo demum (2) XIV. & XV. primum in Germania invaluisse, cum illis temporibus a Germanis diligentius frequentari cœpissent externæ Academiæ, & erectis passim in ipsa Germania Academiis domi jam commode addisci posset.

## §. III.

Hoc quidem de receptione Juris Romani in Germaniam generatim. Ad Lubecam & finitimas regiones atque civitates quod attinet, serius his innotuisse dictum

- (1) Vid. *Struvius in Historia Juris Cap. VI. §. 39. pag. 529. seqq.*  
 (2) De Receptione Juris Romani in Germania vid. *Struvius l. c. de pag. 529. ad pag. 549. & Joh. Sal. Brunquell in Historia Juris Romano Germanici Cap. X. per totum.*

dictum Jus multis ostendi potest argumentis. Saxo-  
niam atque Holsatiam ineunte Seculo XVI. Jus Cæsare-  
um ignorasse auctor est *Struvius* (1) quid igitur de  
Lubeca dicendum, quæ inter utramque interjacet? Certe totam simul Germaniam pestis in modum inva-  
dere, & regiones civitatesque Legibus jam ante non  
male constitutas paucis annis occupare non potuit  
peregrini Juris auctoritas, maxime cum non deessent,  
quæ progressibus ejus obicem ponerent. Maritimæ  
inprimis civitates, teste *Lautensackio* (2) incrementis  
Juris Romani diutius obstiterunt, secundum mores &  
leges patrias judicantes. Quas inter Lubeca opibus  
eminens verita est, procul dubio, ne plus damni, quam  
utilitatis ad commercia sua redundaret, si legibus gen-  
tium toto cælo diversarum potius, quam suis finitimo-  
rumque populorum vivere vellet. Taceo alia investi-  
Juris Romani incommoda, (3) quæ Lubecenses, qua  
erant prudentia, non potuerunt non subodorari.

## § IV.

Sero itaque, nisi me omnia fallunt, Lubecæ inva-  
luit Juris Romani auctoritas, & quamquam annum quo  
hoc factum sit determinare non possum, daturos tamen  
spero Lectores candidos ante Seculum XIV. eam vel  
plane nullam, vel perexiguam fuisse, Sequitur itaque  
ut in antiquitatem Juris Lubecensis inquiramus, quam  
si ante Seculum XIV. ascendere idoneis evicerimus  
argu-

(1) In *Historia Juris*, Cap. VI. §. XXX. pag. 534.(2) In *Specimine Jurisprud. Otiose in Capp. de Jurisdictione & pacis*  
Sect. 1. §. 36.(3) Conf. *Jl. Hoffmanni Specimen Conjecturarum Politicarum* pag.  
163. & seqq.

argumentis, nullum super erit dubium, quin Jus Romanum pro fonte Juris Lubecensis falso venditetur.

§. 7.

Primo loco experiemur annon ostendi possit jam XII. Seculo extitisse Jus Lubecense. Non hic ad illa *Arnoldi Lubecensis* (1) verba provocabimus, quibus *Fridericus Barbarossa* Lubecensibus *justitias*, quas in *privilegiis scriptis habebant secundum Jura Sossatia* dicitur confirmasse; cum omnino dubium videatur, quid sub *justitiis* hisce intelligendum sit. (2) Tutius ad præfationes præfixas codicibus Juris Lubecensis ad *Tunderenses* (3) & *Magistrum Fratresq; Ordinis Teutonici in Ljvonia* (4) missis provocabimus, quarum utraqve Jus Lubecense ab *Henrico Leone* civitati concessum, a *Friderico* secundo dicitur confirmatum. Principes autem Civitatis Lubecensis *Viros*, qui hæc præfationes codicibus a se missis præfigi curarunt, mendacii arguere non adeo pronum videtur, (5) præsertim cum Anno 1243. & 1254., quibus scriptæ sunt dictæ præfationes, non potuerint hæc omnium memoria excidisse; annis nondum multum

supra

- (1) A *Lambecio* in *Originibus Hamburg.* n. 100. pag. 29. exhibitum.
- (2) Conf. de sensu hujus vocis *Lambecium* l. c. n. 100. *Henric. Meibomium* in *Introd. ad Historiam Saxonie* infer. pag. 83. 84. *Dottisingius* D. E. J. *Westphal* in *Specim. Monument. Mecklenburgens.* Num. 1. not. e. pag. 7. seqq.
- (3) Exhibita est hæc Præfatio a *Danckwertho* in *der Beschreibung der zwey Herzogthümer Schleswig und Holstein* / P. 2. Cap. 5. pag. 85.
- (4) Hanc vide apud *Sibrandum* in *Jure Publico Urbis Lubecæ* &c. *Part. 1. Sect. X. n. 30. pag. 107.*
- (5) Vid. *Meibomius* loco supra cit. pag. 85.

supra quinquaginta a confirmatione Friderici Barba-  
rossæ elapsis. Novum nobis suppeditabit argumentum  
hæc confirmatio, cujus excerpta nonnulla dedit Struvius  
(6) in qua præter alia hæc habentur verba: *Et quicumque*  
*ipsorum supra causa quacunque conveniatur, per omnes imperia*  
*nostri fines, Et per ducatum, coram loci illius iudice se expur-*  
*gabit, absq. captione, secundum jura jam dicta civitatis. Quæ*  
si non satis perspicua cuiquam videantur, explicatio-  
nem ex hisce Friderici II. in privilegio Lubecensibus  
Anno 1226. dato, verbis petat: *de habundantiori quoque*  
*gratia concedimus Et confirmamus eis, in perpetuum eorum jura*  
*Et omnes bonos usus Et bonas consuetudines, quibus tempore*  
*Imperatoris Friderici, avi nostri, felicitis memoria, usque nunc*  
*usuisse noscuntur.* (7)

## §. VI.

Evicimus igitur argumentis si non prorsus apo-  
dicticis, certe perquam verosimilibus seculo XII. exti-  
tisse Jus Lubecense. De seculo XIII. res est extra con-  
troversiam posita, quod ex receptione Juris Lubecensis  
in varias civitates, initio & circa medium hujus seculi  
facta, evidenter demonstrari potest. Nos pauca affe-  
remus exempla, quibus ea, quæ de antiquitate Juris  
Lubecensis superiore §. dixim⁹, valde confirmabuntur.  
Rostochio in tribus Diplomatis a Literatissimo Dn.  
D. Ern. Joach. Westphal (1) editis Jus tribuitur Lubecense.  
Primum Borwini est, qui oppidum Rotzstoch construendum  
se se delegisse ait, sed anno incerto datum, antiquum autem  
B esse

(6) In *Historia Juris* Cap. VI. §. 27. not. \*\*\* pag. 501.

(7) Vide loc. cit.

(1) In *Specimine Monumentorum Mecklenburgensium*, Num. pag. 11.  
10. seqq.

esse satis ex Diplómate alius Borwini, Anno 1218. dato, patet, qui Borwinum priorem avum suum appellat. Utrumque ab Henrico Magnopolensi Stargardiæ & Rostochii Domino Anno 1252. confirmatum fuit: qui Rostochiensibus *omnem justitiam, & integram juris conservantiam Lubecensis, quam in progenitoribus ipsius hactenus tenuerant, libenti animo irrefragabiliter indulset*, quæ verba de Jure Municipali Lubecensium intelligenda esse mihi quidem minime videtur dubium (2).

## §. VII.

De Hamburgo res est obscurior: cui quidem in Diplómate Friderici II. Imperatoris, Anno 1232. dato (1) petente Adolpho, Comite Holsatiæ, concessa fuit libertas utendi *antiqua justitia Lubecensium*, quam ab Adolpho III., Adolphi modo dicti patre, antea habuerant. Sed hic iterum recurrit illa, de qua §. 5. diximus, de sensu vocis *justitia* disceptatio, quam ut evitemus hac de re nihil certi statuimus. De Adolpho IV., Holsatiæ Comite, quem a Friderico II. Hamburgo libertatem utendi antiqua justitia Lubecensium impetrasse diximus, narrant Historici, (2) quod aliquot annos antequam Hamburgi monachalem cucullum (3) fumeret,

(2) Conf. Literatiss. Westphaloe. cit. nec non Sybrandus in *Jur Publ. Lubeca* &c. P. I. Sect. X. n. 2. seqq. pag. 95. seqq.

(1) Vid. Lambecii *Origin. Hamburgens.* n. 98. pag. 29.

(2) Cyriacus Spangenberg in *seiner Holstein- & Schaumburgischen Chronick. Lib. I. Cap. 30. pag. 72.* Joh. Petersen in *seiner Chronick der Lande zu Holstein &c. P. 2. pag. 30.*

(3) De Anno, quo Adolphus IV. vitam monasticam amplexus est non convenit inter Historicos. *Petersenius & Danckwerth* Ao. 1238. factum putant: *Spangenbergius* A. 1240. die 13. Augusti.

sumeret, Itzehoam, Aldenburgum, Plœnam, Kiloni-  
umqve Jure Lubecensi instruxerit. Si *Frid. Menio* (4)  
credimus Waldemarum Daniæ Rex civibus urbis Reva-  
liensis (5) Anno 1223. Jus Lubecense utendum dedit,  
Stralsfundium, Pomeraniæ nostræ Metropolis, teste  
*Sybrando*, (6) a Wislao, Jarimari primi fundatoris filio,  
Anno 1240. idem Jus impetravit. Tundera Anno  
1243., Memela Anno 1254., eodemqve anno Magister  
Fratresq; Ordinis Teutonici in Livonia singulos Juris  
Lubecensis Codices a Senatu Lubecensi obtinuerunt (7).

B 2 §. VIII. Hoc

gusti, a *Mellen* in *Disf. Jenensi de Historia media Lubecensi pag. 80*  
Annum ponit 1239. *Albertum Abbatem Stadensem*, qui iisdem  
temporibus vixit, secutus. Vid. *Lambecius in Rerum Hamburg.*  
*Lib. II. pag. m. 25. not. 6. edit. Fabric.*

- (4) Im *Historischen Prodröme des Steffländischen Rechte und Regle-  
ments &c. §. 2. pag. 5.* de hoc *Menio*, Professore Historiar. &  
Antiquitatum in Academia Dorpatensi, ejusqve ab officio,  
propter aliquot de S. S. Trinitate & persona CHRISTI errores  
remotione vid. *Clarissimi And. Anton. Stiermanni Centuriis  
Anonymorum, nec non Decan. I. Pseudonymorum ex Scriptoris  
gentis Sivo-Gothicæ pag. 78. & seqq.* Ubi acta quoqve nonnulla  
hanc causam spectantia, exhibentur.
- (5) Apud *Dn. von Lobden* in *Epitome Histor. rerum Livonicarum  
MS. Lib. 2. Cap. 3. pag. m. 90.* Diploma de A. 1265. inveni,  
qvo Margareta Daniæ Regina Revaliensibus præcepit, ut cri-  
mina rem monetariam spectantia secundum Jus Lubecense puni-  
rentur, qvòd cum adhuc, quantum quidem rescire potui, im-  
pressum non sit, in *App. sub. num. 1.* adjungere volui.
- (6) In *Jure Publico Urbis Lubecæ &c. Sect. X. pag. 102. n. 14.*
- (7) De Codice Tunderensi vide *Danckwerthum* in *der neuen Landes-  
Beschreibung der zwey Herzogthümer Schleswig und Holstein  
P. 2. Cap. V. pag. 85.* De Codice Memelæ Urbis civibus &  
Magistro

## §. VIII.

Hoc pacto Livonia quoque Juris Lubecensis particeps facta est. Ideo tamen non existimandum eam legibus antea prorsus caruisse, cum Rigæ Jus Gothicum, (1) ruri autem Leges (2) Waldemari & Erici, nec non Alberti I. Rigensium Antistitis Anno 1228. latæ (3) in usu fuerint. Magis est verosimile Magistro & Fratibus Ordinis Teutonici, utpote Germanis, Lubecenses præ domesticis arrisisse Leges: præsertim cum magna esset illo tempore Juris Lubecensis auctoritas, & Livonos inter ac Lubecenses commercia frequentissima. Auctor Anonymus Tract. Germanici de *Historia Juris Lubecensis*, supra laudatus, multum huc contulisse putat, (4) quod Livoni a Lubecensibus ad obse-

Magistro Ordinis Teutonici misso vide *Sibrandum l. sep. cit. pag. 107. conf. Hartknoch in Antiquitatibus Prussicis Diss. 17. §. 7. p. 342. & in Not. ad Damburgi Chron. Prussia pag. 101. idem Hartknochius refert Elbingam ab Henrico de Hohenhöe Ao. 1246. Jus Lubecense accepisse, Vid. Joh. Alb. Stephani Compendium Juris pag. 20.*

(1) Patet hoc tam ex transactione A. 1225. facta, & a nobis in *Append. sub num. II. exhibita*, quæ Rigensibus a Papa Honorio III. Jus Gothicum confirmatur, quam ex testimonio *Ill. Oernshelmi in Vita Ponti de la Gardie pag. 77. Ubi Nicolaum Episcopum, A. 1230. adductis e civitate Wisbyensi aliquot mercatoribus, simul cum eis jus Gothlandicum allatum, in judicii usurpandum, Rigensibus indulgisse testatur.*

(2) Testis est *Menius in Prodomo cit. pag. 7. & 8. §. 8.*

(3) *Vid. Schurtzweischii Additam. ad Historiam Ensisferorum Ord. Teuton. Livon. pag. m. 189. & al. pl. Differunt MSCta harum Legum exemplaria. Alia 68. alia 69. nonnulla 67. tantum habent. quod ad manus est 68. art. constat.*

(4) *Entwurf der Historie des Lübschen Rechts / §. 9. pag. 10.*



obsequium CHRISTI & Imperii Romano Germanici  
 (5) fuerint perducti, & Albertus II. Sauerbeer Admini-  
 strator Episcopatus Lubecensis simul Archi-Episcopus  
 esset Rigenfis. Quorum hoc (6) non diffitemur; illud,  
 B 3 utpote

- (5) Miror quid Ill. de Ludewig in *Diss. de Civitatum dispari nexu cum  
 S. R. Imperio Cap. 9. §. 11. pag. 86. & in dem vertheidigten Preuss-  
 sen wieder den teutschen Ritter-Orden / pag. 81. & 95.* induxerit  
 ad negandum Germanico Imperio aliquid juris in Livoniam &  
 Borussiae ullo unquam tempore fuisse: cum hoc non ex plu-  
 rimis tantum Documentis fide dignis, quorum duo sub *num. III.  
 & IV.* Dissertationi huic subjungam, satis evinci possit, sed in  
 deductione quoque MSCta, ab Anon. quodam conscripta sub  
 rubro: *An Livonia in numerum membrorum Imperii Germanici  
 fuit recepta, multis sit demonstratum.* Idem ex Commissoriali  
 Caroli V. colligi potest quo Philippum Stetinensem & Johannem  
 Holsatiae Ducem ad controversias dirimendas suos esse voluit  
 Commissarios, welche / ut ipsa verba Imperatoris vernacula ad-  
 ponam unfern und Des Reichs Liebe Getreue Conrad  
 Teurkauff / Burgermeister und Joh. Gelfler / Secretarius der  
 Stadt Riga Klagerweise fürgebracht wieder den Ehrwürdigen  
 unfern und Des Reichs Fürsten un lieben andächtigen Herrn  
 Hermann von Druggeney / Meister deutschen Ordens in Lieff-  
 land / etc idq; nach denen Reichs-Ordnungen / secundum  
 statuta Imperii. Unde quid hac de re statuendum sit, nemini  
 dubium esse potest. Conf. Lüntz im teutschen Reichs-Archiv  
 P. Gen. 1ster Theil pag. 500. it. 1ste Fortsetzung pag. 89 90. & 287.
- (6) De tempore, quo Albertus II. Rigenfis creatus est Archi-Epi-  
 scopus magna apud Historicos est confusio: quam nos monu-  
 mentis fide dignis tollere allaborabimus. Nicolaus igitur, qui  
 Albertum hunc proxime praecessit, in *Diplomate de tertia parte  
 Curlandiae, Ostiae & Semigalliae Civibus Rigenfis concessa Annum  
 1231.* Pontificatus sui annum primum appellat. Unde patet  
 eum vel hoc anno, vel proxime praecedenti Episcopum factum  
 fuisse.

utpote de quo inter Historicos magna est dissensio, in medio relinqvimus (7).

§. IX. Jam fuisse. Superstes autem fuit ad Anno 1250., quod ex alio Diplomate de Pace publica facta testaque conservanda, anno praedicto dato, colligimus. Nicolao Albertus II. vel Anno 1250. vel initio proxime sequentis successit, & ad annum 1272. Diocesi Rigensi praefuit, quod literis ipsius publicis Anno 1251. VI. Calend. Martii & aliis 1272. 14. Februarii datis evidenter ostendi potest. Nobiscum consentit Anonymus in relatione MSC. de erroribus Historicorum Livonia in Chronologicis. B. von der Hardt in Tabulis Chronolog. Archi-Episcop. Episcoporum, & Co. Livoniae. Errant autem Hiernerus, von Lobden / von Ceuern / Kelchius, aliiqve, qui Nicolaum Anno 1233. diem obiisse, & anno sequenti Albertum habuisse successorem perhibent. Quid de Charta hujus Alberti de Anno 1242., quam exhibet Auctor der neuen Bibliothec P. XVIII. pag. 692. sentiendum sit ex dictis facile constare potest. Danckverthius quoqve nescio quo fundamento nixus de Alberto nostro loco supra cit. P. III. C. 8. pag. 227. scribit. In der Pabst machte ihn gar zu seinem Legaten in Estland / Esten und Preussen / oder wie Crantzius redet / ad omnes Hyperboreas regiones. Confundit, ni fallor, Albertum Rigensem, cum Alberto Bremensium Archi-Episcopo, quem Legatum fuisse ad omnes hyperboreas regiones a Papa constitutum, ex Adamo Bremensi, Crantzio aliisque discim9. Conf. Hamelmann9 in seiner Oldenburgischen Chronik. P. I. C. 13. pag. 28. 29.

- (7) Vid. Dionys. Fabricius in compendiosa Livonica Historia Serie MSCta P. I. Cap. III. von Lobden in Epitome Histor. Livonicae MSC. Lib. III. Cap. I. Protocolum Commissionis Conferentialis Sveco-Curlandicae MSC. de Ao. 1694. pag. m. 31. 46. 105. Basilius Plinii Encomium inclita Cronatis Rigae pag. 4. Werdenbagen de rebus publicis Hanseat. & Conring. de Finibus imperii, qui Rigam Bremensium esse coloniam, atqve adeo Livoniam horum opera ecclesiae CHRISTI, ac ditioni imperii Romano Germanici accessisse uno ore fatentur. Conf. Deductio MSCta pro Jure Emporii Rigensium contra Curlandiae Principem pag. m. 10. seqq.

## §. IX.

Jam ex iis, quæ de antiquitate Juris Lubecensis in medium prolata sunt, quæque de tempore investiti in Germaniam Juris Romani supra attulimus, tuto videmur nobis concludere posse Jus Romanum pro fonte Juris Lubecensis minus recte venditari. Cum enim ostenderit illo tempore, quo conditum fuit Jus Lubecense, parum admodum in Germania, imprimis autem Lubecæ & circumjectis locis, cognitum, ne dicam receptum fuisse Jus Romanum: illius Compilatores, quos Lubecenses ipsos fuisse nos quidem minime dubitamus, ex hoc aliquid mutatos esse nequaquam est verosimile. Hinc non satis mirari possumus Viros doctissimos, & inter hosce Anonymum (1) sæpius laudatum, Juris Lubecensis ex Romano originem tam confidenter accessere. Quæ enim in Appendice Tractatui sæpe commemorato adjecta (2) attulit veterum Scriptorum loca hoc tantum probant, floruisse passim in aulis Imperatorum & Principum etiam ante conditum Jus Lubecense Viros Juris Romani non profus imperitos. Sed nihil hoc ad Lubecam, quæ Jus suum non ex Aulis, sive Imperatorum, sive Principum petivisse, sed, impetrata libertate, ipsa sibi sua auctoritate constituisse nobis tamdiu videbitur, donec contrarium argumentis idoneis fuerit demonstratum.

## §. X.

Sed ne quis sententiam meam alio detorqueat, quam quo spectat, addendum est, ea quæ hactenus de origine Juris

(1) Vid. Entwurf der Historie des Lübschen Rechts §. 11. pag. 11.

(2) Cui titulum fecit: Nachricht von der Deutschen Jurisprudenz in den Mittelern Zeiten / S. 10. seqq.

Juris Lubecensis disputata sunt, de antiquis, non autem de recentioribus Juris Lubecensis intelligenda esse compilationibus. In eas enim quæ serius factæ sunt, nonnulla ex Jure Romano irrepsisse non diffitemur. Nulla est enim in his oris Legum Compilatio paullo recentior, quin Juris Romani veluti rivulis aucta sit. Quæ de causa si cui videbitur Jus Romanum inter fontes Juris Lubecensis, sed recentioris, reponere, nos quidem non habebit contradicentes. In verbis enim sumus faciles, dummodo in re inter nos conveniat.

## Caput II.

quo

*Quantum Juri Saxonico in questione  
de Origine Juris Lubec. tribuendum sit  
disputatur.*

§. I.

**S**ed misso Jure Romano ad Saxonicum progredior, cui inter Fontes Juris Lubecensis secundus a plerisque tribui solet locus. Magna ejus olim fuit & late patens auctoritas. Præter amplissimas enim veteris Saxoniarum ditiones, in Polonia quoque, Silesia, Bohemia & alibi magno in honore fuit (1). Quæ de causa Lubecam, Saxoniarum conterminam, & Saxonum fortasse coloniis olim frequentatam, Juri Saxonico in Jure suo con-

(1) Conf. Struvius in *Historia Juris* Cap. VI. §. 23. pag. 469. & Ill. Hoffmannus in *Specim. Conjectur. Politicarum*, pag. 108. Ill. Gribnerus in *Diss. de Terris Juris Saxon* §. 32. seqq. Joh. Christ. Keuschau in *Diss. Inaug. Jenens. vom Sachsen Spiegel* / §. 23. pag. 21. et. al. pl.

dendo locum aliquem concessisse non dubitant plerique, qui de Origine Juris Lubecensis scripserunt. Ita tamen, ut si de Speculo sic dicto Saxonico hoc obtinere nequeant, hujus loco antiquiores Saxonum Leges & Instituta nobis commendent (2). Nos quid nobis de hoc Juris Lubecensis fonte statuendum videatur hoc Capite exponere constituimus, & primo quidem loco quo Jure Speculum Saxonicum huc trahatur dispiciemus.

§. II.

Utemur autem hic, ut in Capite præcedenti non sine fructu fecimus, lumine Chronologico; & an ipsa temporum ratio Jus Lubecense ex Speculo Saxonico derivari patiatur in primis disquiremus. De ætate Juris Lubecensis Cap. I. satis dictum est copiose, quam ad finem Seculi XII. esse referendam verosimilibus argumentis probatum dedimus. Si hanc ætatem, vel majorem ferret Speculum Saxonicum, non nihil haberemus causæ, cur Juris Lubecensis Compilatores ex illo nonnulla in suos usus convertisse suspicaremur. Sed longe aliter sese rem habere ostenderunt Viri doctissimi, qui Speculum memoratum circa annum 1230. concinnatum fuisse argumentis minime dubiis comprobaverunt (1).

§. III.

Fabulosum itaque est Chronicon Holfaticum vetustum a *Leibnitio* in *Access. Hist. P. I.* editum, quod de Origine Juris Lubecensis in hunc modum fatur: *Post Vice-*  
*lini obitum Henricus Leo catbedr alem ecclesiam de Oldenburg trans-*  
C tulit

- (2) Vid. Anonymus sæpe laudatus in der Anleitung zur Historie des Lübschen Rechts. S. 11. pag. 11. seqq.  
 (1) *Strauchius* in Diss. 3. §. 6. *Juris publici nec non Mart. Forsterus* in Diss. vom Sachsen-Spiegel. S. 2. pag. 6.

edit in Lubecensem civitatem, eo quod hanc civitatem ab Adolpho Comite Holsatiae, qui eam primus construxerat, & castrum, hodie Borch dictum, pro munitione civitatis erexerat, prece & vi retinuerat. Dicta civitatis incolis Jus municipale ex Speculo Saxonum extractum, quod etiam adhuc habent, & libertatem navigantibus dedit copiose. Sed falsum hoc esse nemo temere dubitaverit: praesertim cum multis exemplis ostenderint alii (1) non ubiq; huic Chronico fidem tuto haberi.

## §. IV.

Non autem opus est, ut de Speculo Saxonico plura addamus, cum pro hoc non multum nitantur auctores, qui Originem Juris Lubecensis ex Saxonico repetunt. Et profecto fatendum est posse hos, Speculo Saxonico plane neglecto, nihilominus suam tueri sententiam, cum ab hac Eckonis compilatione adeo non pendeat Jus Saxonicum, ut ante hanc factam multis seculis flourerit; atque adeo, ad (1) aetatem quod attinet, pro fonte Juris Lubecensis optime haberi possit. Quod ut nos quidem minime inciamur: ita an alias probabile sit Juris Lubecensis compilatores ex Saxonico aliquid in suos usus decerpere voluisse paucis dispiciemus.

## §. V. Ante

- (1) Vid. Moßeri Diatribae Historico - Criticae de Helmoldo, ejusque Vita ac Chronico Slavorum, §. 38. Conf. *Acta Eruditorum Mens. Mart. Ao. 1698. pag. 151.* & Tenzelius in *Dialogis Mensibus German. Mens. Febr. Anno 1698. pag. 125. seqq.*
- (2) Aetas Juris Saxonici a nonnullis ad Caroli M. tempora, ab aliis ad remotiora refertur. Vid. *Siruvius in Historia Juris Cap. VI §. VII.* & Consult. D. D. Carl Otto Rechenberg in *Disp. Lipl. sub Praesidio Consult. D. D. Christoph Schreiteri habitis 1710. de Origine Juris Saxonici Post. 13. pag. 16.*

Ante omnia hic instituenda esset Juris Saxonici cum Lubecensi collatio; ex qua de tota hac quaestione optime judicari posset. Sed cum hanc non admittat Dissertationis Academicæ modulus, alia via rem aggrediemur. Audiamus in primis Consultissimum D. Doct. Arpium, (1) cui Jus Lubecense Saxonicum dicere displicet, quod vix unquam Lubeca aliter rebus eorum studuerit, præterquam secundum vicinæ Nordalbingiæ Jura, quin nec unquam Rolandum, juris, fori, hanni regii, pacis publicæ & juris municipalis indicem erigere voluerit, quæ certe verba hoc saltem evincunt, Lubecensibus instituta Saxonum non adeo placuisse, ac multi quidem, sed conjectura non admodum probabili, sibi persvaserunt.

## §. VI.

Porro notandum est Weichbildum Magdeburgense, seu Jus Municipale urbium Saxoniarum, Lubecensi, tanquam plane diverso, opponi, adeoque distingvi a se invicem solere civitates, quæ Jure Lubecensi, quæque Magdeburgensi utebantur. Hæ Magdeburgi, illæ autem Lubecæ summum habuerunt tribunal. Hæ (verba sunt Gryphiandri (1) Weichbildos sive Colossos Rulandinos erexisse videntur, ut ab illis Jure Lubecano utentibus, neque Weichbildos habentibus distingverentur. Unde apparet satis multum inter Jus (2) Saxonicum & Lubecense intercessisse discriminis: nec unum facile ab alio derivandum

C 2

(1) In Feriis Æstivalibus Parte IV. §. XCIV. pag. 285.

(1) In Libro de Weichbildis Saxoniciis Cap. Ultimo. n. 22. Conf. n. 22. ejusd. Cap.

(2) Ideo tamen non est ut Jus Lubecense pro Sævico vel Franco-nico

dum esse, quamquam aliis de causis multa communia habere potuerunt.

## §. VII.

Sed ponamus Jus Lubecense a Jure Saxonico aliquid mutuo sumfisse: adhuc tamen dubium remanet, an hoc Saxonum proprium Jus, vel annon potius tales sint articuli, qui ex Jure vetusto Gothico desumpti sunt, atq; adeo ipsis Saxonibus proprie loquendo non competunt. In Capitularibus enim Caroli M. varia esse fragmenta Juris Gothici, (1) quod Saxonibus valde placuit, (2) idonei Auctores testantur. Hinc factum arbitror, ut Celeberr. J. Ctus Kiloniensis *Vogtius* (3) in Jutorum *Low-Buch* vetustissima Saxonum Jura accuratius contineri non dubitare sese dixerit, quam in Speculo Saxonico: & *Sperlingius* (4) peculiari opere sese demonstraturum promiserit Jus Saxonicum antiquissimum a Jure Danorum omnino derivandum esse. Jus enim Danicum cum Gothico conspirare, & fortasse ab hoc originem traxisse, notum satis ac pervulgatum est.

## §. VIII.

Hæc quidem de Jure Saxonico generatim monere

visum nico cum *Ill. Thomasio in Not. ad Monzamban. Cap. V. §. 13. pag. m. 389. edit. German.* habeamus: nulla enim hujus consequentiæ apparet ratio.

- (1) Vid. *Grotius in Prolegom. ad Procopium pag. m. 64. B. Caroli Lundii Prolegom. in Jus Westrogoth. pag. 5.*
- (2) Vid. *Arbur. Duck. de Jure Civili Romanorum L. 2. C. 6. §. 5. Conf. Nob. Iserhielmii Dissert. Upsal. de regno Westrogothorum in Hispania. Cap. IV. §. 4. pag. 95.*
- (3) In *Comment. Academ. in LL. Jutorum de Homicidio §. 4. pag. 6.*
- (4) Vid. *Sibberi Bibliotheca Historica Dano-Norwegica. Cap. VIII. Sect. 1. §. 1. pag. 245.*



visum fuit: superest ut antequam ad alia pergimus, de Jure Susatensi nonnulla adjiciamus: a quo repetendam esse Juris Lubecensis originem possit aliquis ex verbis *Arnoldi Lubecensis* (1) suspicari, cui Lubecenses, urbem suam dedituri, a Friderico Barbarossa petiisse dicuntur, ut *Jusitias*, quas in privilegiis scriptis habebant secundum Jura *Sofatie ipsius confirmaret*. Eadem hæc Jura ab Henrico Leone Bavariæ & Saxonix Duce accepisse (2) perhibetur Lubeca, unde validum pro origine Juris Lubecensis ex Saxonico necti posse videtur argumentum. Si enim Henricus Leo, Dux Saxonicus, Lubecensibus Jus Sofatiæ, (3) urbis Saxonix, utendum dedit, non apparet, quo pacto negari queat Jus Saxonicum, si non unicum, certe præcipuum Juris Lubecensis fontem esse. Equidem non diffiteor magnam speciem habere hoc argumentum, præsertim si addatur, verosimile esse Henricum Leonem, qui Lubecæ simul & Sofatiæ imperavit, utramque eodem Jure uti voluisse; colonias quoque aliquas illo maxime tempore, quo Lubeca condebatur, in viciniam ejus e Westphalia evocatas fuisse; & denique inter primos urbis Senatores circa annum 1161. electos fuisse Westphalos complures, & inter hos *Volquinum de Susato*, & *Hermannum de Susato* occurrere (4). Dabo tamen operam

C 3

- (1) In *Chronic. Slavorum Lib. 11. Cap. XXXV. pag. 295.*  
 (2) In *Chronic. Slavorum Incerti Auctoris apud Lindebrogium inter Scriptores rerum Germanicarum Septentrional. pag. 199. editio Fabric.*  
 (3) *Sofatia*, alias *Susatium* vel *Zusatium*, inclita olim fuit Westphaliæ, quæ veteris Saxonix pars est, urbs mediterranea. hodie *Sest* vocatur.  
 (4) Vid. *Joh. Mollerum in Isagoge ad Historiam Oerfonesi Cimbricæ. P. 1. Cap. XV. pag. 255.*

operam ut quid in contrarium afferri posse videatur,  
breviter & distincte edifferam.

## §. IX.

Inprimis autem disquirendum erit, qualia fuerint illa Jura quæ Lubecensibus ab Henrico Leone ad normam Juris Solfatensis concessa fuerunt, privatane an publica? Privata fuisse Ill. Hoffmannus (1) & Excell. Struvius: (2) publica Lambecius atq; Bangertus (3) multis probare nituntur. Et horum quidem sententiæ nos non dubitamus accedere, cum & comode sic explicari possint veterum Historicorum verba, & Jura Solfatie (municipalia) minime omnium Lubeca congrua fuisse videantur, ob confluum peregrinorum, maris consinia, mercimoniorum continuam mutationem, Venedorum mores in legibus Lubecensium obvios, crebros tumultus Solfatum autem ignorabat hyperboreos advenas: civitas campestris in media regione sita, quæ nec proram nec puppim navium unquam viderat. Saxonum colonia, mercibus destituta, cujus civibus nec timor nec cupido leves somnos auferebat ut Lubecensibus (4).

## §. X.

Nihil igitur obstat, quo minus dicamus Justitias, quas in privilegiis scriptis habebant secundum jura Solfatiæ, non tam jus privatum fuisse, quam publicum, & fortasse tale quod vulgo Köbre illis temporibus dictum fuit. Potestatem videlicet statuta mandandi & edicta promulgandi

- (1) In Specim. Conject. Politicarum pag. 139.
- (2) In Historia Juris Cap. VI. §. 27. pag. 495.
- (3) Ille in Origin. Hamburg. Lib. I. num. 101. pag. 29. edit. Fabric. Hic in Not. ad Arnoldum Lubecens. pag. 296.
- (4) Verba sunt Consultiss. D. D. Arpii in Feris Æstivalibus P. IV. Cap. III. §. XCII. pag. 283.

mulgandi secundum placitum eorum pro utilitate & necessitate civitatis, quemadmodum jus hoc in Privilegio Hamburgensibus a Comitibus Holsatiæ (1) concessio explicatur. De Jure autem municipali privato Susatensium, si modo unquam fuit (2) tale, idem, quod de Jure Saxónico generatim, statuendum videtur: fieri nempe potuisse, ut Lubecenses aliqua ex eo in suas Leges receperint, quæ tamen rem omnem non conficiunt: cum alii suppetant fontes, quibus majori fortasse jure locus est relinquendus.

## §. XI.

Pauca ex promisso de tertio Juris Lubensis fonte addenda sunt, pro quo plerumque speciales quædam consuetudines, nonnunquam etiam statuentium arbitrium haberi solet. Ut bevissime de hoc fonte Juris Lubecensis mentem nostram aperiamus: fatemur omnino moribus Lubecensium Jus ipsorum sine dubio magna cepisse incrementa; ita tamen ut mores atque instituta finitimorum minime excludenda existimem. Neque enim temere quis sibi persuadeat, adeo sibi placuisse Lubecenses, ut sua tantum mirarentur, aliena prorsus respuerent. Cum enim inde a primordiis civitatis commerciis fuerint deditissimi, fieri utique non potuit,

- (1) Exhib. a Lambecio in *Rerum Hamburg. Lib. II. num. 239. pag. 75.*  
 (2) Dubitat Consultiss. *Dr. D. Arpe in Fer. Æstivalib9 P. IV. Cap. III. §. XCII. pag. 283.* cujus hic verba adponam: *de Jure Sositie municipali scripto, inquit, minus præclare sentio. Erat Susatum Metropolis Marca Comitatus non incelebris, & gratia suorum Principum multis privilegiis gauderet potius, quam Jure scripto; quod non sedes esset judiciorum, quæ in Westphalia Eresbergi, Tremonia & apud Marcalum ad Visurgim celebrabant, quorum Jura tunc temporis scripta non erant, sed eccubabant scientes, die Biffende.*

potuit, quin ut moribus atq; institutis domesticis peregrinorum, quibuscum quotidie domi & peregre versari necesse habebant, sensim admiscerentur. Arbitrio deniq; statuentium mea quidem sententia locus omnino relinquendus est: cum fieri non possit, ut omnia sive moribus, sive ipsa naturali Lege, satis sint determinata. Ubi autem ipsa ratio quid juris sit satis prospicue decernit, vel moribus, qui commode retineri queant, institutisque sive domesticis, sive peregrinis, quæ ad statum civitatis quadrent, aliquid jam est constitutum, non temere legislatorum arbitrio locum reliquerim.

### Caput III.

quo

#### *Origo Juris Lubecensis ex Jure Sveo-Gothico repetitur.*

§. I.

**H**Atenus pervulgatas eruditorum de fontibus Juris Lubecensis sententias pro instituti nostri ratione ita examinavimus, ut non sine causa alios quæri posse dicti Juris fontes lectoribus candidis probasse nos existimemus. Sequitur itaque, ut nostras de Origine Juris Lubecensis conjecturas in medium proferamus, cujus nos natales ex Septentrione repetendos esse argumentis non omnino contemnendis ostensuros confidimus. Dabimus autem operam ut quam minime longi simus, eaque vel profus omittamus, vel si hoc non licet, leviter tantum attingamus, quæ a duumviris (1) supra laudatis

(1) Vid. *Movius in Comment. ad Jus Lubec. Quest. l. n. 55. pag. 7.*

(1) §. 4. Praefationis.

dati pro hac eadem sententia tuenda allata sunt. Satisfactum autem nostro officio existimabimus, si Lubecenses, cum civitatem suam Legibus instruere vellent, eas nusquam rectius, quam apud Sveones nostros, commerciorum frequentia ipsis conjunctissimos, & Legibus æquissimis diu ante Lubecam conditam instructissimos, petere potuisse ostenderimus. Unde prona consequentia fluet illam, quæ inter Jus Sveo-Gothicum & Lubecense etiamnum deprehenditur, convenientiam, non casu extitisse, sed pro hujus ex illo origine non sperandum dicere testimonium.

## §. II.

Sveciam igitur nostram ab ultima temporum remotissimorum memoria mare Balthicum frequentasse, & tam piraticam, quam mercaturam (1) diligenter exercuisse, apud omnes rerum nostrarum non penitè imperitos in confesso est. Svionum civitates jam Taciti ætate præter viros armaque clasibus valebant, (2) quibus ita usi sunt, ut sub Christianismi initia totam maris Balthicæ oram, præterquam quæ ad meridiem vergit, in sua ditione tenerent. Ex quo factum est, ut commercia cum

D omnibus

(1) *Peregrinis mercibus omnem regionem (Sveciam intelligit) plenam fuisse testis est locuples Adamus Bremensis in Libro de Situ Dantiæ & reliquarum quæ trans Daniam sunt regionum natura num. 84. pag. 60. ed. Fabric. Quas non tam piraticam quam mercaturam partas fuisse vel hinc colligas, quod piraticam non temere nisi in piratas, idque gloriæ acquirendæ & mercatorum tuendorum causa exercuerint nostri. Vid. Diss. Upsal. de Justitia & Jure Sveonum. Cap. III. §. 9 pag. 44. conf. der Schwedischen Bibliothec Erster Th. II. sub. n. 1 §. 10. art. 1. not. 7. §. 8 pag. 55.*

(2) *Vid. ejus Germania Cap. XLIV.*

omnibus maris præditi si accolis tanto exercerent facilius, qui Bircam, urbem olim in his oris maximam & commerciis florentissimam (3) assidue frequentabant. Quæ de re *Helmoldum* audire juvat, qui in *Chronico Slavorum* (4) Est autem *Byrca*, inquit, oppidum *Gothorum* celeberrimum, in medio *Sveonia* positum, quod tractus quidam *Baltici* maris alluit, reddens portum optabilem, quo omnes *Danorum*, *Norwegorum*, itemque *Slavorum* atque *Semborum* aliisque *Scythia* populi pro diversis commerciorum necessitatibus solemniter convenire solent. Non igitur dubitandum est, & veteris *Lubecæ* cives & populos circumjectos hunc communem veluti maris *Balthici* portum diligenter invisisse, & modernæ *Lubecæ* veteres incolas commercia *Svetica*, quamvis non *Byrcæ*, quæ *Sec. XI.* excisa est, in aliis tamen regni *Sveciæ* portibus non segniter exercuisse, maxime quidem, ut videtur, *Wisbyæ*, inclita *Gothlandiæ* urbe, principemque post everfam *Byrcam* maris *Balthici* emporio.

## §. III.

Illustre hujus rei testimonium nobis subministrat *Diploma* *Henrici Leonis* (1) *Wisbyensibus* & totius *Gothlandiæ* incolis Anno 1163. datum. Ubi post insignia privilegia *Gutenibus* in ditionibus suis concessa, utpote immunitatem a telonio, Legum, si qua injuria

(3) *Rembertus* in *Vita Ansharis* ed. *Lambec.* n. 194. pag. 61. de Anundo *Sveciæ* rege *Danis*, ut horum ope regnum recuperaret, direptionem *Bircæ* promittente, loquens: Proponerat eis, inquit, vicum nominatum *Byrca*, quod tibi multi essent negotiatores divites, & abundantia totius boni, atque pecunia thesaurorum multa.

(4) *Lib. I. Cap. 8. n. 9. pag. 25. edit. Bangert.*

(1) *Exhib. a Lambecio Rerum Hamburgens. L. II. pag. 78. edit. Fabric.*

injuria afficerentur, promptum auxilium, omnem denique  
eam gratiam & justitiam, qua indigenæ fruebantur :  
hæc addit : Nos quoque & terram nostram de cetero arctius dili-  
gant, & portum nostrum in Lubeke diligentius frequentent.  
Quis dubitet mercatores Gothlandenses novellæ urbi  
instituta sua communicasse ? Quæ Lubecenses quoque  
cupide arripuisse non immerito censentur, cum jam  
tum commercii valde floreret Wisbya, nobilissimum  
Gothlandiæ emporium, & eandem inclarescendi ratio-  
nem Lubeca maxime sequeretur.

§. IV.

Sequentibus temporibus non infrequentia fuisse Sve-  
corum cum Lubecensibus commercia passim testantur  
nostri Historici. Cum primis autem memorabilis est  
urbis Lubecæ a Danis obsessæ Svecorum ope facta libe-  
ratio, propter quam immunitatem a telonio Lubecæ,  
& merito quidem suo, impetrarunt. Rem totam in  
compendio (1) Messenius his verbis exponit : Anno  
MCCXLVI., Danus, throno Imperii vacante, Lubecum recupera-  
turus, istud vehementer impugnat, ferrea catena per Thraviam  
ducta, ut obsessis omnem adimeret comœatum. At clas-  
sis Svecorum auxiliaris illam perrumpens Lubecensibus omnimodam  
annonæ copiam invexit. - - - Verum Svecos propter  
auxilium Lubecensibus modo præstitum multo illic tempore a vecti-  
galium immunes fuerunt solutione.

§. V.

Non est dubium Svecos hac immunitate, tam justo  
titulo parta, non sine insigni suo commodo diu usos  
fuisse. Sed postquam patria, domesticis malis ener-  
vata,

D 2

vata,

(1) In Scandiae Illustr. Tom. II. pag. 34. Conf. Tom. XII. pag. 117.

vata, non eo quo antea studio commercia curare posset, Lubecenses infirmitate nostra abutentes, non sine maximo lucro Svetica frequentarunt emporia; ut adeo verissime dixerit *Ericus Upsaliensis* (1) Lubecam commercii in Svecia exercitis ad tantam magnitudinem opesque pervenisse. Qua sua fortuna si modeste uti scivissent Lubecenses, de pristina dignitatis gradu non fuissent dejecti. Postquam autem liberatoribus olim suis, extortis propter praestitum modicum auxilium immodicis privilegiis, graves esse coeperunt, & de Dania Sveciaque (2) simul bello subigenda unius urbis cives ausi sunt cogitare, non est mirandum, si viribus exhausti, praeter pristinae potentiae dignitatisque memoriam parum admodum ad posteros transmiserint.

## S. VI.

Plura de frequentibus Lubecensium cum Svecis commerciis non opus est addere, (1) cum ex iis quae jam dicta sunt, id quod intendimus satis evictum esse non dubitemus. Etenim cum non sit verosimile Lubecenses in Jure suo condendo peregrina, quae sibi usui esse possent, neglexisse instituta, ubi, quae sibi, ea sumere potuerunt rectius quam apud Sveones, cum quibus tantum inde a primis urbis suae natalibus habuerunt commercii? Profecto ratio hoc svadet, & prudentissimorum quorumque Legislatorum exempla confirmant. Non aliam ob causam Reges Poloniae Juri Saxonico in suo

(1) In *Historia Svecorum & Gothorum* pag. m. 12. edit. Sylviana.

(2) Vide hac de re copiose differentem *Ericum Georgii Tegel* in *Historia Gustavi I. Part. II. Ad Anno 1533. & seqq.*

(1) Illustriss. *Oernbielm* in *Vika Ponti de la Gardis* pag. 152. seqq. rem eandem copiose explicuit.



fuo regno locum fecerunt, quam quod commerciis faci-  
litandis hoc infervire crederent. Testis exceptione  
major est Sigismundus III. (2) Poloniae Rex, qui, magna,  
inquit, laus summae prudentiae tribuenda est Serenissimis supe-  
rioribus Poloniae Regibus, qui cum animadvertissent, quantum  
rerum omnium, non modo quae ad usum vitae, verum etiam, quae  
ad cultum splendoremque pertinent, commercium regni Poloniae  
mercatores cum finitimis sibi Germanis habeant, Teutonico Jure  
urbes & oppida sua uti voluerunt. Eadem certe, inter alias,  
caussa fuit, cur tot urbes atque civitates, in quibus Lubeca,  
Jus Maritimum Wisbyense receperint; (3) quod utique  
facturae non fuissent, nisi propter frequentiam cum Wis-  
byensis, magnae quondam & praepotentis urbis civibus,  
commercium hoc rebus suis profuturum intellexissent.  
quod idem de Jure Lubecensi merito dici posse quilibet  
vel me non monente videt.

§. VII.

Quis igitur de Prudentia Legislatoria Lubecensium  
tam sinistre judicare velit, ut eos sive Romanas, (1)  
sive alius alicujus gentis statui suo minus congruas leges

D 3

pra

- (2) Vid. Sirvius in Hist. Juris Cop. VI §. 23. n. 4 pag. 472.  
(3) Vid. Consult. D. D. Langenbeckii Anmerkungen über das Ham-  
burgische Schiff und See-Recht in der Einleitung ad Art. 33.  
Olaus Magnus in Historia Rerum Septentrionalium Lib. 10. Cap. 5.  
pag. m. 327. Grotius in Prolegom. ad Procopium pag. 64. Kürsick  
in Mariitimo Hanseatico Jure pag. 77. B. D. Lange in brevi Intro-  
duct. in Notitiam Legum nauticarum pag. 38. & passim. Loccenius  
de Jure mariitimo in Praefatione.  
(1) Romani non favebant commerciis, quae legibus suis magis coër-  
cebant, quam e re erat, hinc recte concludit Consultiss. Cass.  
a Rheden in Diss. Bremensi de Statutis Bremensibus ad mercaturam  
compe-

præ Svecicis amplecti voluisse audeat affirmare? Neque enim quis mihi objecerit non satis cognitum fuisse Lubecensibus Leges Sveonum, cum contrarium ex superioribus satis constare possit. Fieri enim non potuit, ut Jura Sveonum a Lubecensibus ignorarentur, cum tot ultro citroque commearent utriusque gentis Cives: tot, ut credere par est, inter utrosque causæ occurrerent dirimendæ, ipsa denique utriusque populi lingua illo tempore non multum discreparet. Quemadmodum itaque Jus Romanum alienum licet in plerisque a moribus atque reipublicæ Lubecensis (2) rationibus, sola Doctorum ex Academiis domesticis & externis redemptium auctoritate non Lubecæ modo, sed per totam Germaniam invaluit: ita Jus Svecicum genio populi Lubecensis longe aptius, commerciis quotidianis & ipso manifesto usu, ne dicam necessitate, urgente, a Lubecensibus optimo Jure receptum statui possit.

## §. VIII.

Sed quid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt? Ipsa Juris Lubecensis cum Svecico collatio affinitatem utriusque satis luculenter prodit. Quamvis enim hæc olim procul dubio major fuerit, quam hodie observatur, postquam longo temporis tractu non unam

mutati-  
compositis §. 16. pag. 12. ubi: unde ultro consequitur, inquit, Urbes illas, quæ pro fine habent commercia, indeque & patriam nostram, in rebus ad mercaturam pertinentibus parum præsidii invenire in Jure Rom. ejusque subtilitatibus. Conf. Sonnenmanni Diss. Inaug. sub Præsid. Sam. Stryku habit. 1674. exhibens Jus Lubecense ad Methodum Institutionum. Cap. 1. n. 11. & 12. pag. 7.

- (2) Adde. Lingua Peregrina genti Lubecensibus vix nomine notæ, nedum commerciorum usu conjunctæ, datum.

mutationem utrumq̄ subiit : supersunt tamen pristinae cognationis non obscura indicia. Laudatur in primis in Jure Lubecensi brevitās & verborum pondus singulare : eadem in Jure Svetico mirantur omnes, qui istud lingua vernacula sciunt legere. Laudatur in Jure Lubecensi æquitas, quodq̄ ad fidem firmandam, delicta coercenda, suum deniq̄e cuiq̄e sine ambagibus vindicandum longe sit aptissimum. Eadem Juri Svetico verissime tribui posse elogia non ignorant ii, qui sacris Themidos Sveticæ sunt initiati. Deniq̄e in toto utriusq̄ Juris Corpore, in primis autem in iis, quæ ad processum judicarium & ipsam praxin spectant, tanta utriusq̄e apparet convenientia, (1) ut perquam mirabile merito judicari posset, si hæc casu, non consilio Juris Lubecensis Conditorum, Jura Svetica amplectentium, extitisset.

§. IX.

Quod de origine Juris Lubecensis ex Svecorum Legibus probare conati sumus, id nec de reliquarum gentium borealium statutis negandum existimamus. Immo vero probatur nobis merito Consultiss. Dn. D. Arpii sententia, qui rejecto Jure Saxonico potius ex moribus Gotborum, Wandalorum, Venedorum, aliarumq̄e gentium septentrionalium, cum quibus multum ius (Lubecensibus) negotii intercessit (1) originem Juris Lubecensis repetendam censet. Ubi tamen observamus nos non satis perspicere posse, cur Wandalorum hic meminerit, utpote qui diu ante Lubecam

(1) Conferatur hoc loco supra laudatus Jo. J. Rango in Cit. Diff. Epistolica; qui, quæ à nobis hic stricim dicta sunt, longa argumentorum serie comprobavit.

(1) Vid. ejus *Feria Æstruales pag. 285.*

Lubecam conditam hæc oras reliquerant. Paucos autem illos, qui remanserant, a Venedis oppressos fuisse notum est, qui & ipsi non multo post Lubecam conditam a Saxonibus funditus deleti fuerunt. Inter gentes autem Boreales, quos commemorat, post Svecos Dani locum merentur, qui non ipsa tantum propinquitate sua & frequentia commerciorum suas Lubecensibus commendare potuerunt Leges, sed ipsam quoque Lubecam ineunte Seculo XIII. armis occuparunt, & plus annis viginti tenuerunt (2).

## §. X.

Sed hæc quidem hæc pro adstruenda Juris Lubecensis ex Svetico origine adferre visum est. Quæ quidem pro certis & extra omnem dubitationis aleam positis non venditamus, apud æquos autem harum rerum æstimatores nonnullam inventura fidem nobis pollicemur. Si quis autem contrarium idoneis argumentis quiverit demonstrare, iis nos imprimis assurgere non dubitabimus. In quæstionibus enim, quarum enodatio ab imperfectis & obscuris remotæ antiquitatis repetenda est monumentis, minime omnium pertinacem esse decet. Dedimus hoc nostræ in patriam dulcissimam pietati, ut hanc augendæ ipsius gloriæ occasionem arripere, quod licet non omnino nullis argumentis nobis fecisse videmur; tamen si veritatem nobis, præter opinionem, adversam senserimus; contra hanc vel tantillum nisi nobis religio erit.

## Caput IV.

(2) Arnoldus Lubecensis in Chronico Svecorum pag. 466, edit. Bangert. & Inceri. Aut. Chronica Slavica ap. Lindenbrog. inter Scriptores Rerum Germanicarum Septentrional. pag. 203 & 205. ubi tamen pro Anno 1209. legendum est 1204.

---

 Caput IV.

q<sup>uo</sup>

*Dubia nonnulla, quæ adversus Caput proxime  
precedens moveri possint, removentur.*

§. I.

Q<sup>uam</sup> Capite proxime præcedenti de Origine Juris Lubecensis ex Sveonum legibus adstruximus sententiam, multis obnoxiam fore objectionibus facile prævidemus. Etenim cum non nisi uni alterive Juris sæpe commemorati natales in Septentrione quærere in mentem venerit, maximæ autem eruditorum parti longe alia arriserit sententia, fieri utiqve vix potest, quin ut vel ipsa sua novitate multorum incurrat reprehensionem. Accedit quod, ut omnia fere antiquiora tam temporum injuria, quam Scriptorum incuria parum cognita sunt, ita & Juris Lubecensis natales iisdem de causis parum admodum sunt perspecti. Non alienum igitur erit dubiis nonnullis quæ moveri possint, in antecessum occurrere, & quæ ad ulteriorem sententiæ nostræ illustrationem facere queant, quæ fieri poterit brevitate, in medium proferre.

§. II.

Inprimis autem iis respondendum erit, quibus fortasse dubium videbitur, utrum Juri Svetico Lubecense, an Lubecensi Sveticum aliquid debeat. Quorum quidem objectioni non melius occurri potest, quam si utrum sit antiquius ex residuis monumentis literariis ostendamus. Et Jus quidem Lubecense ad Seculi XII. finem nos supra (1) retulimus. Certe ultra ea tempora

E

non

(1) Cap. I. §. 5. huj. Diss.

non multum ascendet, etiam si concederemus Lubecam ipso natali suo anno, qui CHRISTI erat 1140., Jus suum municipale accepisse, vel Lubecam antiquam proprio Jure usam esse, quæ tamen hodierna non multo est antiquior; nisi quis eam pro Ptolomæi Treva habere sustineat. Quicquid sit, ultra Seculum X. vel XI. non ascendere Juris Lubecensis ætatem omnes facile duros spero, atque adeo hoc concessio facile erit ostendere illud cum Svetico vetustate nequaquam esse æquiparandum.

§. III.

De Legum Sveogothicarum antiquitate multa superioris seculi a Scriptoribus rerum nostrarum tradita sunt, quæ quoniam multis visa sunt incredibilia, & nimium patriarum rerum extollendarum studium spirant, nos quidem hoc loco non attingemus. Neque enim hoc opus est, cum suppetant alia fidei minime dubiæ monumenta, quibus id quod volumus facile obtenturos nosmet existimamus. Quapropter neque de Erico quidquam dicam, qui Syecis A. M. 2014. leges dedisse perhibetur, (1) nec de Zeuta, Diceneo, Anacharside, (2) Abaride, (3) Zamolxi, (4) disputabo

(1) Vid. *Wattrang in Theatridio Sveo-Gothicarum Antiquitat. P. I. Cap. V. pag. 23. Wexionii Descriptio Suecie Lib. V. Cap. VIII. Joh. Gothus Lib. II. Cap. XIII. Fernandes de Rebus Geticis Cap. V. pag. m. 118. Carol. Lundius in prolegom. ad LL. Upland. pag. 3 & in Notis ad LL. W. Goth. pag. 143., Wadensien in Proœm. adnotat. MSCTO in Jus Suecannum aliisque plur.*

(2) De Anacharside vid. *Disp. Upsal. de Anachars. Scythæ Cap. IV. pag. 28. ubi narratur inter alias rationes, propter quas nonnulli cum vita spoliare cogitaverant, etiam hanc fuisse, quod Leges patriæ*

fuerintne Gothorum in patrio solo commorantium  
Legislatores, nec ne; Satis enim erit ex præcipuis  
Legum patriæ Collectionibꝫ ostendisse diu ante Lubecæ  
auditum nomen Sveciam Legibus scriptis instructam  
fuisse.

§. IV.

In primis hic ad Collectionem Legum Uplandi-  
carum a **Wiger Spa** / jubente Ingello Rege factam  
provocabimus. Quamquam enim non desunt ex Scri-  
ptoribus (1) nostris, qui Ingellum hunc atqve Vigerum  
Seculo IX. vel X. vixisse existimant; tamen cum diser-  
tis verbis ethnici fuisse in Præfatione Birgeri Regis ad  
LL. Uplandicas (2) dicantur, ante Seculum IX. & X.

(3) vixerint necesse est, cum jam illis temporibꝫ **CHRI-**

E 2

STO

patriæ immutare voluerit, ad mores, puta, Græcorum, quibus  
peregre fuerat imbutus. Hunc eundem Anacharfin de Legibus  
patriæ suæ opus conscripsisse refert *Diogenes Laërtius Lib. 1. de*  
*Vitiis Philosoph.*

- (3) Eruditam de Abaride edidit *Diff. M. Car. Gottf. Zapsini Lipsiæ*  
*1706.* cum qua conferri meretur *David. Cederquists Diss. Upsal.*  
*de Abaride Hyperboreo hab. 1710.*
- (4) In *Hjalmar's Saga pag. m. 5. edit. Halpapi Abaris & Zamolxis*  
e Græcia in Sveciam rediisse dicuntur. de Zamolxi vid. *D. Caroli*  
*Lundii Tract. sub Tit. Zamolxis primus Getarum Legislator.*
- (1) *Sternbock de Jure Sveonum Vetusto Lib. 1. Messenius in Præfat. ad*  
*LL. Ingemundi pag. 2. & in Scondia Illustr. Tom. 1. pag. 69.*
- (2) In Legibus colligendis operam & industriam suam posuit *Wigerus*  
*Spa,* ethnicus tempore ethnicismi ab Ingello Sveonum Rege emissus.  
Verba sunt Birgeri R. in præfat. cit. ex Versione Loccenii.
- (3) Ita judicat *Peringskiöldius* in *Monum. Upland. per Thunnd. Cap.*  
*III. pag. 30. 31.* & *Episcopus Reverendiss. Ericus Benzelius in*  
*Collegio de*

STO nomina dedissent majores nostri. Neque tamen existimandum est tum primum scripto comprehensas fuisse Leges istas. In Præfatione enim cit. Vigerus emissus dicitur ad colligendas (4) vel potius excribendas ligno cautibusque incisas Leges (5). Quod is quoque præstitit redactis in Tab. VII. Sveonum Legibus, quæ ab illo *Vigers Flocker* (6) h. e. Capitula Vigeri, & a summi judicii sede *Upsala Laug*: h. e. Leges Upsalenses dictæ fuerunt.

## §. 7.

Post Leges Uplandicas cum primis memorabiles sunt Westrogothicæ, quæ & ipse ante Christianam in Svecia

*Collegio de Antiquit. Patriæ MSCto. Lib. I. Cap. 2.* Immo vero si vel maxime intelligendus esset *Ingeelm* ille, qui Sec. IX. exeunte vixit, sententia tamen nostra salva maneret.

- (4) Ita vocem *yrkia* explicat *Lundig* in Collegio Juris Svecani MSCto ubi pluribus evincere satagit, jam ante Sec. VI. in Svecia viguisse Leges & judicia provincialia. *Gothericus Rex*, qui Sec. VI. vixit, in *Histor. Gotherici & Rolfonis Cap. XVI.* ad Leges provinciales a consuetudinibus distinctas provocavit. Legum antiquarum fragmenta varia collegit *Jonas Rugman* in *greinit or deim gaumlu Laugum*.
- (5) Vid. *Serenii Diff. de Uplandia Cap. I. §. 3. pag. 4.* De more literas ligno incidendi, ejusque in Septentrione antiquitate Vid. *Saxo Grammaticus in Hist. Danor. pag. 52. & not. Stephani pag. 99. Rhenhielm in Notis ad Torsten Wikingsons-Saga pag. 9. & 35. & Histor. Sturlaugi Laboriosi pag. 59.*
- (6) De hoc nomine vid. *B. Lundius* in Collegio MSCto ad Jus Svecanum Cap. I. *Schefferus* in *Lexico Juris sub v. Flock. pag. m. 560* Proprie *Flockr* collectionem hominum vel turbam notat, ut videre licet apud *Rudbeckium* in *Atlant. Tom. III. pag. 227.* & *Virolium* in *Indice Scribo. Scandico sub h. v. pag. 74.*



Svecia receptam religionem collectæ fuerunt. Factum est hoc opera Lumberi, Westrogothiæ Legiferi, a quo Lumberi (1) leges dictæ sunt; quia ille fertur meditando magnam partem legum nostrarum (Westrogothicarum) fecisse. Ipse natus erat in Wangum, & ibi situs est in colle, quod paganus erat. Quamvis (quæ B. Caroli Lundii (2) ad hunc locum est annotatio) adhuc probe memoria sit tenendum fuisse tantum Lumberum Collectorem legum, non autem auctorem primum. Lumberi hæc collectio multo post tempore, Seculo videlicet XIII. ab Æschillo, Westrogothiæ itidem Nomophylace, revisa & in usum revocata fuit (3).

## §. VII.

De reliquarum regni Svecici provinciarum Legibus, quarum longum pertexere possemus catalogum, non opus est, ut hoc loco quidquam dicamus; sufficiat generatim monuisse, plerasque ante fuisse conditas, quam Lubeca propriis Legibus uti cœpisset. Magis ad institutum nostrum faciet, si Leges municipales nostræ gentis non prorsus præteriverimus. Habuerunt (1) enim antiquitus urbes præcipuæ Sveo-Gothorum, non minus ac singulæ provinciæ, suas peculiare Leges, inter quas præter Wisbyenses, quæ satis notæ sunt, Bircensium quoque & Upsalensium apud nostros occurrit mentio.

## E 3

- (1) Ita Catalogus Judicum Provincialium in Westrogothia ad calcem LL. Westrogothicarum pag. 73. edit. Lundiana.  
 (2) In Notis ad LL. W. Gothicas. pag. 143.  
 (3) Vid. Catalogus not (1) cit. Verba hic apponi merentur: *illo* (Æschyllus) *intimius inquisivit in leges Lumberi atque aliorum, easque senio absterse, in usum revocavit. Postquam reperisset Leges provinciales, collegit eas magna industria & propria sua providentia.*  
 (1) Vid. Stiernhoëk de Jure Sveonum Vetusto Lib. I. Cap. I.

mentio. Et has quidem perantiquas esse credere nos jubet urbis antiquitas & celebritas summa; quamvis harum, quod sciam, nusquam occurrat mentio, præterquam quod Viburgenses privilegia ab Erico Sancto, qui anno 1160. fatis concessit, sibi data, & a Carolo IX. postea confirmata ostentant, quibus iis Legibus civitatis Upsaliensis vivere permisit. Bircales autem Seculo IX. antevertere non videtur dubitandum, cum urbs tanta, tantisque florens commerciis, Legibus carere non facile potuerit. Certe Seculo XI. antiquiores sunt, quo Birca funditus deleta fuit. Has longo post tempore aptissimas censuit Christophorus Bavarus, borealium Regnorum Monarcha, quas inclitis Emporiis, Hafniæ & Helsingburgo, utendas concederet (2).

## §. VII.

Noftratum in condendis colligendisq; suis Legibus diligentia par fuit Gothorum externorum industria, qui Leges Seculo V. (1) post C. N. scriptas habuerunt, quarum per Italiam, Hispaniam & non exiguam Gallia partem tanta fuit auctoritas, ut Juri Romano non æquarentur tantum, sed in Hispania quoque multis Seculis, interdicto sub multa XXX. marcarum auri Juris Romani usu, solæ vim Legis obtinerent (2). Ex eodem autem

- (2) *Messenius* Sccond. Illustr. Tom. XII, pag. 254.  
 (1) Vid. *Sirmon* in *Historia Juris* Cap. V. §. 1. pag. 351. seqq.  
 (2) Vid. *LL. W. Goth. Lib. II. Tit. I. Cap. X. pag. m. 17. Collect. Lindenbr.* Quamobrem non sine causa in Corpore Juris nonnulla superesse conjectant magni nominis Viri Ill. *Hoffmannus* in *Historia Juris Rom. Tom. I. pag. 229., Consult. Dn. D. Brunquell. in Duf.*

autem has, quo nostræ, fonte promanasse non dubitabit, qui utrasque inter sese conferre non gravabitur, quamvis enim in nonnullis pro diversitate locorum & Climatibus variant, reliqua tamen belle consentiunt, quod Ill. Claud. Raolamb (3) & Nobiliss. Gyldenstolpe (4) plurimis exemplis satis copiose ostenderunt.

## §. VIII.

Obiter hoc loco de lingua, qua scriptæ sunt Gothorum externorum Leges, dicemus. Mihi quidem lingua Gothica primum consignatæ videntur, quod idem de Legibus veterum Germanorum dicendum arbitror, quamquam hodie nil nisi truncatæ miserumque in mo-

*Disf. Jen. Inaug. de Codice Theodosiano ejusque in Codice Justin. Usu Cap. III. §. 8. 9. seqq. Schulung in Jpr. Ante-Justiniana prefat. & al. pl. Sic Legem 2. Cod. de Feriis Ill. de Ludewig in Disf. de Frustrum attributione, seu iucula frustruaria pag. 45., & ante eum alii, ex LL. W. Gothicarum Lib. II. Tit. I. Lege XI. derivat. Riccius de Librorum Juris Romani quantitate & qualitate pag. 110. Anianum Romanis sub specie LL. Romanarum Jus Gothicum obtulisse perhibet, consentiente Ungehauero Exercit. Justin. 3. qu. 8. pag. 146. & Cujacio in Epistola ad Sententiam Pauli, Taulero de Migrat. Gentium Septentr. pag. m. 45. & 46. & Stephanus in Compendio Juris pag. 16. Quapropter idem Riccius, Juris Gothici noticiam ad explicandum Jus Romanum multum conferre existimat; quam qui non possideat, hybridas pro meris Romanis aliis obtulurum non dubitat affirmare. Pithocus in prefat. ad Edictum Theodorici Regis Italica p. m. 2.*

- (3) *In Observat. Juris Pract. Lib. I. Cap. II. Obs. 2. pag. m. 22. seqq.*  
 (4) *In Preliminaribus ad Historiam Regum Borealium pag. 109. cit. a Nobiliss. Secret. Regio Car. Iserhielm in Disf. de Regno Westro-Gothorum in Hispania, Cap. IV. §. 4. pag. 98. Conf. b. Sternhielm. in Prefatione edit. sua LL. W. Gothicarum pag. 1. nec non b. Car. Lundii Prefat. ad eandem LL. pag. 3. 4. & 5.*

dum detortæ versiones supersunt (1). Equidem non ignoro esse nonnullos, qui Germanos non scivisse arbitrantur voces lingvæ suæ characteribus exprimere, sed si vel maxime hoc dandum esset, quod multi hodie non admittunt, (2) de Gothis tamen aliter pronuntiare deberemus, quorum Episcopus Ulphila (3) Seculo IV. literis Gothicis in lingvâ Gothicam conversa sacra consignavit oracula; quiqve a conterraneis suis, jam ante CHRISTUM natum literis non destitutis, scribendi artem discere potuerunt (4). Non vana igitur est *Schenckii* (5) conjectura, qui Leges Gothorum Runis vel Gothicis literis conscriptas fuisse putat; cum enim eos hoc potuisse facere non temere sit dubitandum, fecisse quoque merito existimantur. Prudentia enim *Legislatoria contrariatur*, (6) si Leges peregrina & paucissimis hominibus in civitate cognita lingua scriptæ usum in vita civili & foro habere debeant. Quid? quod Perusii Legum Gothicarum Codicem in Pergamena Runis scriptum sese vidisse

- (1) Hoc multis probatum dedit *D. Carolus Schencken* in *Diss. Inaugurali Altæ de Ortu & Retractu Feudali*, Cap. I, §. 18. pag. 22.
- (2) Vid. *Bergeri Diss. Wittebergensis Priscus Germanus non siliteratus*.
- (3) Vid. de hoc *Ulphila Diss. Upsal. Clariss. Södermanni de Ulphila Gothorum Episcopo*.
- (4) Utrum Runæ ab *Œthino Upsaliensi*, qui proximo ante N. C. Seculo vixit, inventæ sint, an ante illius tempora in usu fuerint nunc non disquivo. Hoc in *Runograph. Scand. Cap. IV. pag. 16.* affirmat *Verelius*, quem videtis.
- (5) In *Diss. cit. §. 18. not. a. pag. 22. seqq.*
- (6) Ita *Illustriss. Hoffmannus* in *Coroll. V. Diss. Lips. de Fatis studii poluici, &c. Conf. Ill. Böhmeri Diss. de Prudentia Legislatoria Juris Lubecens. Cap. I. §. 13. pag. 119.*

vidisse profitetur *Olaus Magnus*, (7) idemque confirmat *Johannes Mesellus Sequanus* (8) Rudolphi Imperatoris Historiographus. Nescio an hic idem sit Codex ille Florentinus quem *Komarinus* (9) non Hungaricis, sed literis lingvæ alicuj9 alteri9 scriptum esse ait; *Johannes* autem *Trösterus* non vana conjectura Characterè Runico vel Longobardico consignatum adstruxit (10).

§. IX.

Sed ut e diverticulo in viam revertar, neminem, qui hæc pauca, quæ de antiquitate Legum Sveo-Gothicarum a nobis dicta sunt, perpenderit, dubitaturum existimo utrum Jus Lubecense Svecico, an hoc illi originem debere sit existimandum. Illud quidem nos Cap. præcedenti probare allaboravimus: ubi Juris quoque maritimi Wisbyensis a Lubecensibus recepti obiter mentionem injecimus. Quod quoniam nonnulli Germanicæ fortassis potius quam Svecicæ originis esse existimabunt, cum a Lothario Imperatore nec non Henrico Leone datum sibi illud esse & confirmatum Wisbyenses ipsi (1) affirmant, e re esse visum est monere suspectam merito esse hanc Wisbyensium de auctore Legum suarum relationem. Henrici certe Leonis  
F Diploma,

- (7) *Histor. Rev. Septentr. Lib. XIV. Cap. XXX.*  
 (8) Referente illustriss. *Joh. Skjute* in *Oratione de Sueonum Gothorumq9 vetustate & fortitudine militari. Cf. P. Puhai pref. ad LL. W. Goth.*  
 (9) *In Hungaria Illustrate Prologo pag. 21.* Eadem credibile videtur scripturam aliquam literis alicujus lingvæ orientalis conscriptam esse, quod minime miramur. Gothica enim Scriptura ab imperitis pro Orientali facile haberi potest.  
 (10) *In Dacia Nov. Antiqua Lib. III. Cap. II. pag. 250. Conf. Bellii Literatura Hunno-Scythica Vet. §. 16. pag. 52.*  
 (1) *In Prefat. Codicis LL. suarum, pag. 1.*

Diploma, ad quod provocant, ne verbulo quidem Juris Wisbyensium municipalis meminit: (2) unde non sine causa suspicamur ipsos non meliori fide de Lothario idem retulisse.

## §. X.

Sed ponamus recte se habere, quod de Legibus suis a Lothario & Henrico Leone confirmatis nobis persuadere volunt Wisbyenses. Ideo tamen sunt manentque Leges Sveo-Gothicæ, utpote in urbe Sveo-Gothica a civibus imperio Sveo-Gothico subjectis concinnatæ. Confirmationes autem illæ non magis probant Jus aliquod sive Lothario, sive Henrico in Gothlandiam competitivisse, quam Papæ Romano, qui Leges easdem sua manu Anno 1177. confirmavit. (1) Ideo enim talis confirmatio quæsitæ esse potuit, quod jura ista peregrinos obligare, & vim suam in alienis territoriis exserere debebant, (2) veletiam quod errore illius Seculi Imperatoria & Papalis confirmatio, regia credebatur efficacior. Aliqua tamen Germanos, qui Wisbyæ olim magno numero habitarunt, ut ad suos mores conformarentur obtinuisse non dubitaverim; (3) sed inde nihil nostræ decedit sententiæ.

## §. XI. Sed

- (2) Videtis Lambesium in *Rerum Hamburgens. Lib. II. pag. 78.* edit. Fabr.
- (1) Vid. Job. Strelow in *Chron. Gutbilandorum pag. 129.* & Joh. Schoumacker in *Diss. de Gothlandia Cap. V. §. 6. pag. 35.*
- (2) Ita Ill. Hoffmannus in *Specim. Conjectur. Polit. pag. 140.*
- (3) Conf. *Adr. Werveri Tractat von denen Niederländischen Seco Rechten, & Consultiss. D. Langenbeckis Anmerkungen über das Hamburgische Schiff- und Seco-Recht. in der Einleitung ad Art. 33.*

## §. XI.

Sed misso Jure Wisbyensi, illorum occurrendum est accusationi, qui inter fontes Juris Lubecensis Juri Slavico nullum a nobis relictum esse locum vitio dabunt. Verum licet non ignoremus Juris Slavici apud Historicos passim mentionem (1) fieri, & ipsum quoque Jus Lubecense nonnunquam hoc nomine (2) insigniri: tamen, cum qvale fuerit hoc Jus fere ignotum sit, satius duximus in Jure Sveo-Gothico, aliisque, quæ superfunt, aliarum germanicarum gentium Legibus, quam in Jure Slavico Juris Lubecensis quærere originem, quod si una cum lingua & gente Slavorum in his oris penitus evanuisse dixerimus, a vero non multum aberrabimus. Jus autem Lubecense a nonnullis Slavicum ea maxime de causa dictum videtur, quod in locis a Venedis, gente Slavica, antea habitatis maxime in usu fuit. Unde simul apparet, cur Jus Lubecense, si vel maxime Slavicum appellandum esset, in Polonia, Bohemia, Misnia Lusatiaque non fuerit receptum (3). Venedi enim, a quibus repetenda esset hujus appellationis ratio, Slavi quidem fuerunt, (4) at non omnes Slavi Venedi. Denique, ut hoc obiter moneamus, non aliam ob causam Jus hoc

F 2

Venedo-

- (1) Vid. Anonymus in der Anleitung zur Historie des Lübschen Rechts / §. 13. ibique cit. auct.  
 (2) Communis est assertio Jus Lubecense esse Slavicum, ait Thomasius in Not. ad Conradi Sinceri Diss. Epistolicam. pag. 22.  
 (3) Quod mirum visum est Thomasio in Not. ad Monzambanum Cap. V. §. 13. Lit. (c)  
 (4) Hic conferri meretur Pl. Rev. Sieberi Historische untersuchung des hohen Alters thums des Groß- Churfürstlichen und Orl. Mecklenburgisch. Hauses. pag. 18. & 19.

Venedo-Slavicum a nonnullis Wandalicum vocatum videtur, quæ quia Venedi regiones a Wandalis derelictas occuparunt. Alias enim Jus Wandalicum Germanicum in rerum natura nunquam fuit.

## §. XII.

Supereff ut de Legibus Palnatokii pauca moneam, quas ad incrementa Juris Lubecensis aliquid contulisse existimat Consult. Arpe (1). Ex hujus enim (verba sunt Viri Consultissimi) nec non Vineta Bardowici & Sleswici ruinis cum effloruerit Lubeca, advenas civis sua instituta, mercatura apprimè accommoda, secum attulisse fidem facile invenit. Verum quicquid sit de reliquis, Julini certe instituta, quæ nobis ob oculos ponit Torfaus, (2) mercaturæ & civitatis Lubecensis rationibus parum fuerunt accommoda. Si quæ alia fuerunt, ad mercaturam pertinentia, hæc fortasse Lubecensibus non displicuerunt. Sed silentibus Historicis, nec nos quidquam decernim.

## Caput V.

Usus hujus Dissertationis ostendit.

## §. I.

**A**Ntequam huic de Origine Juris Lubecensis Dissertationi finem imponimus, non alienum erit paucis ostendere, quem usum habere queant illa, quæ de diversis Juris Lubecensis fontibus pro instituti ratione satis copiose disputavimus. Erunt enim fortassis, quibus parum admodum momenti in accuratiori illa de Legum Originibus disquisitione positum videbitur, quæ nec usum

(1) In *Feris Æstivalibus* P. IV. Cap. III. §. XCIV. pag. 285.

(2) In *Hist. Norweg.* Part. 2. Lib. 7. Cap. 5. pag. 280.



usum habet Practicum cuilibet satis obvium, & plus  
sæpe difficultatis atque molestiæ, quam quilibet devo-  
rare velit. Alii autem quibus omnia sordent, quæ  
de pane lucrando non sunt, non inutilem tantum ope-  
ram hujusmodi studiis impendi pronuntiabunt, sed ori-  
osis speculationibus bonas horas melius collocandas  
disperdi plenis buccis exclamabunt. Utrisque quam  
brevissime respondere conabimur.

§. II.

Et ad hos imprimis quod attinet, parum abest, quin  
eos responstone prorsus indignos putem. Quid enim  
magis ridiculum est, ut utar verbis Excell. Heineccii, (1)  
quam avicularum imitari industriâ, & quædam Legum  
verba panis lucrandi causa ediscere, nec earum tamen  
tenere vim ac potestatem. Nonne his Jure occinas  
illa Persii leviter immutata:

*Quis expedit vitæ suam hæcque  
Picasque docuit verba nostra conari!  
Magister artis, ingenique largitor,  
Venter, negatæ artifex sequi voces.  
Quod si dolosi spes refulerit numi  
Corvus, peritus Juris, Ulpianæ  
Tentabit expedire voce rubricas.*

Sed nolo irritare crabrones. Genuini veræ & non per-  
sonatæ Juris prudentiæ cultores usum bonarum artium

F 3

e lon-

(1) In Orat. Inaugurali dicta Francofurti ad Viadravam Ao. 1727. de  
Juris Consultis semel doctis, causisque cur tam pauci hodie ad veram  
Juris prudentiæ laudem perveniant pag. 10. conf. quæ graphice hanc in-  
rem scripsit B. Fricolich de Friedensberg in Orat. de Juris prud.  
Laude etc. pag. m. 87 & 88. & Dn. D. Westphal in prefat. Com-  
mentas. de Consuetudine ex Sacco & libro 66. pag. 14. & 15.

e longinqvo prospiciunt, & historiæ Legum in studio Juridico tantum esse usum uno ore fatentur, ut sine ejus ope ad solidam Jurisprudentiæ cognitionem perveniri plane non possit.

## §. III.

Hicce igitur missis ad illos veniamus, qui de usu quidem luminis Historici in Juris studio præclare sentiunt, ast operosiores illam rerum vetustarum investigationem parum necessariam existimant, non quod usum habeat plane nullum, sed quod hic tam sit tenuis, ut operæ pretium non reddat. Non diffitemur adversus multos valere posse hoc argumentum, qui domi hospites esse malunt, quam vel levissimas Antiquitatum Romanarum Græcarumve ignorare minutias. A quorum ineptiis atque vanitate nos quam longissime absumus, qui in illustranda Juris Lubecensis historia non nihil operæ collocavimus. Multi quidem in hac tradenda desudarunt magni nominis Viri, sed, licet horum meritis nihil derogatum velim, multa tamen aliis excutienda reliquerunt; quod vel ex hoc nostro tentamine intelligi posse confidimus.

## §. IV.

Ut autem usum hujus Dissertationis paulò distinctius Lectori ob oculos ponamus, per singula eundo Capita non inutiles in ipsa Praxi doctrinas inde derivandas paucis commonstrabimus. Quæ igitur Cap. I. de Origine J. L. ex Jure Romano non repetenda diximus illis (1) os obturabunt, qui illud ex hoc primariò inter-

(1) Conf. *Dr. D. Ernesti Joach. Westphali Dis. Rostoch. de Origine & fontibus Juris Lubecensis ejusque usu, autoritate, elogio & subsidio.*  
S. 16. pag. 73. seqq.

interpretandum, amplificandum vel restringendum arbitrantur. Idem fere de Jure Saxonico pronuntiandum, quod non temere ad illustrandum Jus Lubecense adhiberi debere ex Cap. II. intelligi potest. Caput III. ad commendandum Juris Sveo-Gothici studium nonnihil conferet, quod, sicubi (2) unquam, in Jure certe Lubecensi illustrando non inutiliter adhiberi queat. Ea denique, quæ Cap. IV. in medium attulimus & superiora multum illustrabunt, & fortasse alias Lectori harum rerum non incurioso lectu non ingrata erunt.

## Appendix Documentorum.

### Num. I.

**M**argareta DEi gratia Danorum Slavorumque Regina Capitaneo Revaliensi, ceterisque aliis omnibus Revaliam inhabitantibus salutem in vero salutari. Constat volumus universis, quod nos de consensu dilecti filii nostri Domini Regis monetam Revaliensem taliter duximus innovandam, quod de una marca puri argenti sex marcæ denariorum, & duæ *ore* denariorum fabricentur, ac in eodem valore dicta moneta immutabiliter perseveret. Injungentes cunctis ejusdem consulibus, ut caveant diligenter, ne dicta moneta falsificetur, vel in aliquo pejoretur. Et quod pondera quæ ad præsens, ut audivimus, minorata sunt & falsata, juxta dictorum consulum discretionem & consilium corrigantur. Si quis autem hujusmodi falsi-

(2) Vid. Illustr. Hoffmanni Diss. Proœmial. ad Beyeri Delinac. Juris German. §. 9. pag. 6.

falsitatem in ponderibus vel moneta facere impoſterum  
 attentant, volumus & tenore præſentium eiſdem con-  
 cedimus liberam facultatem huiusmodi falſarios qui-  
 cunqve fuerint SECUNDUM JURA LUBECENSIA  
 corrigendi, & ſicut ordo Juris dictaverit, pœna debita  
 puniendi. Hanc etiam eidem civitati gratiam conce-  
 dimus per præſentes, qvòd contra conſenſum & volun-  
 tatem dictorum Conſulum in eorum præjudicium nul-  
 lus ibidem inſtitui debeat Advocatus. In cujus rei testi-  
 monium Sigillum noſtrum præſentibus duximus appo-  
 nendum. Datum Roſkildis Anno Domini MCCLXV,  
 Id. Auguſti. Teſtibus Dominis Odewardo de Lode  
 & Harberto.

Num. II.

*Copia Transactionis de Jurisdictione, Juribus &  
 Libertatibus Civitatis Rigensis, coram Mutinensi Episcopo, inter  
 Episcopum, Magistrum & Civitatem Rigensem facta  
 1225. Mense Decembr.*

**C**oram nobis Wilhelmo, divina miſeratione  
 Mutinensi Episcopo, Apoſtolica ſedis Legato,  
 inter Venerabilem Fratrem Albertum Livoni-  
 enſem Episcopum & dilectos filios Johannem  
 Rigensem Præpoſitum & Valchinum Magiſtrum mili-  
 tiæ CHRISTI in Livonia, ex una parte & Albertum  
 Syndicum Civitatis Rigensis, nomine ipſius Civitatis  
 ex altera, ſuper jurisdictione ipſius Civitatis & ſuper  
 moneta, & ſuper quibusdam aliis Capitulis quæſtio  
 huiuscemodi vertebatur. Dicebat namqve Syndicus  
 prænominaus, civibus licere Judicem Civitatis conſti-  
 tuere,

tuere, eo quod haberent *Jus Gotorum*, sibi ab Episcopo à constitutione Civitatis concessum. Super quibus interrogatus jam dictus Dominus Episcopus pro se, Præposito & Magistro ibidem præsentibus & consentientibus, respondit, quod à constitutione Civitatis concessit civibus in genere *Jus Gotorum* & specialiter libertatem à Duello, teloneo, candente ferro & naufragio. Dubitabatur autem inter eos, quod esset *Jus Gotorum*. De quibus omnibus, de consensu nostro eis placuit transigere in hunc modum, videlicet.

Quod cives possint sibi libere Judicem eligere civitatis, & electum debeant Episcopo præsentare, & Episcopus ipsum investire. Ille vero Judex de omni causa temporali cognoscat. Homines autem, qui sunt de Jurisdictione Episcopi, vel aliorum, qui ab Episcopo feudum tenent, ut Magister, Præpositus & alii, non tenentur sub prædicto Judice respondere, nisi de contractibus & delictis in Civitate, vel intra Marchiam Civitatis commissis vel contractis.

Si autem Episcopus, Præpositus, Magister & Abbas de *Dunamont* habuerint domos & agros infra Marchiam Civitatis, & in his contractum fuerit aliquid vel commissum, sub eo, cujus fuerit domus vel ager debeat terminari.

Et si quis Civis in Jurisdictione Episcopi, Præpositi vel Magistri possessiones habuerit, vel ibi contraxerit seu delictum commiserit, teneatur sub, eo cujus fuerit jurisdictione, respondere.

Monetam autem in Civitate fieri, cujuscunque formæ, sit in potestate Domini Episcopi, dum tamen ejusdem bonitatis sit & ponderis, cujus est moneta *Gotorum & Gutlandie*.

G

Cives

Cives vero liberi sint in prædictis 4. Capitulis, scilicet a ferro, teloneo, naufragio & Duello.

Omnibus autem volentibus intrare Civitatem ad habitandum liceat Cives fieri prædictæ libertatis.

Si quid etiam Cives poterunt probare intra decennium esse de Jure Teutonicorum, commorantium in Gutlandia eodem gaudeant & Rigenses, excepto eo, quod si Teutonici in Gutlandia insituerunt aliquatenus Sacerdotem Rigenses tamen nunquam possint constituere Sacerdotem. Datum in Riga Anno Domini 1225. Mense Decembr. XIII. Indictionis, præsentibus Domino Lamberto Episcopo Semigalliæ, Domino Gvilhelmo Episcopo Revaliensi, & Magistro Lamberto Instendalens Canonico, Comite Brocardo, Bernhardo Cive Rigensi & multis aliis Civibus Mercatoribus & etiam peregrinis

Sub 6. Sigillis

Hoc Privilegium à Papa Honorio III. confirmatum est & exstat ejus transumptum sub Sigillo Johannis Archiepiscopi Rigensis de Anno 1287.

Num. III.

**W**IR SIGISMUNDUS von Gottes Gnaden Römischer König zu allen Zeiten / Mehrer des Reichs / zu Ungern / und Böhmen / Dalmatien, Croatien, &c. König / Erzbischoff dem Ehrwürdigen Erz-Bischoff zu Riga und allen andern Bischöffen und Prälaten in Preussen und Lieffland Geseßen und Wohnhaffigen / die nun seynd oder in künfftigen Zeiten seyn werden / Unsern lieben / Andächtaen / Unsere Gnade und alles Gutes. Ehrwürdige und liebe Andächtae. Uns ist fürkommen / wie ihr darnach Keller und euch berebet / den Ehrwürdigen Hoch-Meister in Preussen und Lieffland und ihren Orden / Unsere liebe Andächtae / Ihre Privilegien / Briefe / Handfesten und Rechte / die sie von dem Stuhl zu Rom / Römischen Käysern und Königen Unsern Botschaften haben / zu verfürgen und zu brechen /

brechen / das uns gang l. d. l. von Euch mißfällt / als wir wohl derselben / der Euch dergleichen hätte / das Euch das zumahl zu wiederwäre / und seyn würde. Nun Uns aber und dem Reiche derselbe Orden gemeinlich zu versprechen und zu beschützen und zu schützen zugehört / und Uns unziemlich wäre / das wir Sie an solchen Rechten verfürgen und unterdrücken lassen ; sondern wir viel mehr meinen sie bey solchen ihren Rechten und Privilegien mächtiglich zu erhalten ; Darumb so schreiben wir Euch ernstlich und festlich bey Unsren und des heiligen Römischen Reichs Huldern und bey Behaltung Eurer rechten Privilegien und Handfessen / das Ihr den ehe genandten Hoch-Weissen und Orden gemeinlich oder sonderlich / in keines der eine greiffet / Sie daran hindert / oder wehret / noch zu hindern oder zu wehren euch unterstehet ; sondern sie darbey acrublich ohn allen Widerstand bleiben lassen / and ihr dorthin nicht greiffet / als lieb Euch sey Unser und des Reichs schwere Unanade zu vermeiden. Aber thät ihr anders / das wir nicht glauben / so müssen und wollen wir dann Ihnen von Römisch. Königl. Macht darzu thun / das Sie von euch ungehindert bleiben / und haben Ihnen volle Macht gegeben / das Sie sich des gegen Euch aufhalten und wehren soll'n und mögen / als das nothdürfftig seyn und sich das heischen würde. Und davor so enthalt euch in den Sachen / also glimpflich und ordentlich / das da kein Klagen an Uns kommen dürffen / und wir nichts bewegen werden anders dazu zu thun. Gegeben zu der Blundenburg der siegelt mit unsern Königl. Mayr. In siegel nach Christt Geburs 14. 4. Jahrs am nechsten Mittwoch nach dem Sonntage Jubilae. Unser Reiche des Unqarschen am 36. des Römischen im 24. und des Böhymischen im 4. Jahr.

Num. IV.

*Copia Investitura Alberti Livonorum terris Episcopi,  
ab Henrico, Romanorum Rege collata. (a).*

**H**ENRICUS DEI gratia Romanorum Rex, & semper Augustus  
Universis Imperii fidelibus, ad quos hæc litera pervenirent, gratiam suam & omne bonum. Notum esse volumus, universis, quod nos ad petitionem dilecti fidelis nostri Alberti, venerabilis Rigensis Episcopi marchiam unam per totum ejus Episcopatum in Livonia, videlicet provincias Lettiam atq; Estoniam constituimus, & eundem  
ei Prin-

ei Principatum Jure aliorum Principum concessimus. Dantes ei auctoritatem monetam faciendi, ac fundandi civitatem in Riga, & in locis aliis, in quibus eas fieri oportet. Si autem in locis illis vena metalli cujuslibet, vel thesaurus absconditus fuerit repertus, in his & hujusmodi Jus nostrum, speciali de consilio Principum nostrorum, commisimus Episcopo memorato. Statimus igitur, & sub interminatione gratiæ nostræ firmiter præcipimus, ut Episcopo prænominato de omnibus *justitiis* & rationibus ad regalem jurisdictionem pertinentibus plene respondeatis & per omnia intendatis. Scituri quod ipsum tanquam dilectum Imperii Principem sincere diligimus, & cum per ipsum Imperiales termini dilatantur, & barbarorum infidelitates annuente Domino Christiano cultui subjugantur, nihil eorum omittere volumus, quæ suo commodo conducere poterunt & honori. Hujus concessionis nostræ testes sunt venerabilis Salisburgensis & Trevirensis Archi Episcopi, Herbipolensis, Bambergensis, Augustensis, Passaviensis & Eichstadiensis Episcopi, Austria, Bavariz & Carinthiz Duces, Landgravius Thuringiz, & alii quamplures principes, & nobiles Imperii Ministeriales. Datum apud Norimbengam Calendis Decembris, Anno Dominicæ Incarnationis 1224.

- (a) Faciunt quoque ad corroborandam sententiam nostram in Cap. I. §. 8. n. 5. p. 13. adducta, (1) Kâйсers Friderici Æhn. Brieff für Burghart van der Burgk, Meister Deutschen Ordens in Heßland. (2) R. Caroli V. Æhn. Brieff für dem Herrn, Meister Wolker von Plettenberg de A. 1530. den 5. Aug. (3) Caroli V. Confirmation der Privilegien so dem Stiff Riga und Dorpe ad instantiam des Ern. Bischoffs Thomæ wegen des neuen Wann und Æhn. Rechts ist gegeben worden / Dat. Speyer A. 1528. cum Sigillo Imperatoris in cera rubra, & capsula lignea impresso de filo serico flavo & nigro. (4) R. Caroli Æhn. Brieff für Heinrich von Galen, Meister Deutschen Ordens / Dat. Insprugh den 22. Jan. 1557. & (5) Henrici, Regis Romanorum Confirmatio Hermannii primi Dorpatensium Episcopi, Dat. apud Norimbengam A. 1224. cum variis aliis quæ adhuc in MS. Cto latent.







Greifswald, Diss.; 1726-32

ULB Halle

3


004 529 650



f  
sb.







H. rar. 4. num. 9.

DISSERTATIO ANNIVERSARIA,

1728, 3

qua  
Novam

5

DE

CONTIBUS JURIS  
LUBECENSIS

Conjecturam,

PRÆSES

CHRISTIANUS NET.  
TELBLADT.

J. U. D. & P. P. O. R.

&

RESPONDENS

OLAVUS ROSENIUS,

Gothob. Svecus,

*modesto Eruditorum examini submitunt.*

Ad diem Febr. A. O. R. MDCCXXVIII.

in Acroaterio Maximo,  
horis ante meridiem solitis.

GRYPHISWALDIÆ,

ACTIBUS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

REG. ACAD. TYOGR.

KÖNIGLICH  
UNIVERSITÄT  
ZÜRICH